

Universitätsbibliothek Paderborn


**Clavdii Britonij Hedui, de vera Ecclesiæ Constituendæ
ratione, ad Patres in Concilio Tridentino Liber**

Briton, Claude

[Köln], 1564

VD16 B 8341

urn:nbn:de:hbz:466:1-34308



Th. 6003.

F III
6

Huic libro insunt
Imagines montis
C. parvus

Anton Sylvius, cui griffictus
Trübsam zu Auerbachen, cupido
die blätter mir Hans Holbein,
wolhn wirken dem Norwur dō
Zuckertrautz bewußt sind,
zu ihm in die neue Lande
befindliche Drucke Imagin
mortis für den Leibeswandel
Birkmann zu Cöle. d.
ander Aufleg vspfina 1555
die zweite, die für Anzobund
1557 hat Heller Griffier das
halbjährliche nicht zukauft,
die dritte 1566. Ein 4^{er} folgt
Fionillo von, wem er aufspie-
lig praktione. Blaud.

der Manegrothe dō
Sylvius kost mir nin war
auf-dieser drei und fünfzig
Blätter, A, würlich
mit den Blätte Eee appre-
cinqiat. FD.

CLAVDII BRI-
tonij Hedui, de vera Eccle-
siæ Constituentia
ne, ad Patres in Con-
cilio Tridenti
no Liber.



EXCVDEBATVR
ANNO 1564.

Lugdum Gesuovi: 1564.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TYPGRAPHVS, STV-
DIOSIS CONCORDIÆ IN EC-
clesia, factiōnum opinionumque
motibus concussa, pro-
mouendæ.



Veniammodum in summa tem-
pestate, nos, quantum quisq; cū
corpo tunc animo valemus,
id omne vna omnes, ne nauis
nausagis faciat, vltro necessa-
rioque præstamus: ita, qui Reli-
gionem à tot sœuis fluctib. vniuersam modò con-
cuti conspiciunt, ij certè, si pietatem verè colunt,
non sine graui dolore, multisque lachrymis, in eā
ipsam intuentur. Quare, quoad possunt, eos op-
eram dare conuenit: nequid ea detrimenti capiat.
Cur id enim, quæso, quod in nauis necessitas ex-
torsit, hoc ipsum, in Ecclesia Christiana, tum ciui-
li Republica, pietas non vrgerebat? Et vt verò, non
vnius, sed varij generis homines, nauis vehit: ita,
omnibus cuiuscunque conditionis viris ac foemini-
nis, constat egregius iste Christianorum cœtus.
Quid? Annon, omnes omnium nationum homi-
nes, Christus ille Dux noster, rector, ac seruator,
ad se venire iubet: omnesne accersiuit? Neminem,
equidem, exceptit. Tum igitur cùm nauis vehe-
mēti tempestate percellitur: nos, qui in ea versa-
mur, eius rimas, ne perfluat, cōmunitis salutis caus-
sa, diligenter obturamus, aquam procellosam ex-
haerimus, dissolutas tabulas coniungimus, hian-

A 2 tes

PREFATIO.

tes committimus, cæteri, cætera nauis vitia sarcim.
mus. Gubernator autem omnia perficit, ne vento
rum rapido furori, liberam permittat. Nam quid
eò fieri velit, ipse nautis imperat. Hi ergo, ex eius
iussu, vela ventis temperare student, hi contra-
hunc post, vt res poscit, latè protendunt, deniq;
attollunt, ea submittunt, mutant. At verò, quis
tum, ibi, suum qualecumque munus, qua parte fue-
rit necesse, libenter promptusque non obicit: tanta
protecto contentionē quisque con ficit, vt immā-
nibus æstuum voraginibus, par remorum robur
opponamus. magister ille igitur, in alta puppi
stans, rectum clavum tenet, vniuersum cursum,
ab obseruatis cæli ventorumque regionibus, ad
pyxidem ex Magnete Cynosuram perpetuo spe-
ctate, moderatur: quo nauim, in felicem portum,
curæ plenus, tuto dirigat. Ad hunc modum,
qui neruis omnibus enituntur: vt hanc Euangeli-
cam Petri Apostolorum Coryphæ nauiculam,
qua nos, non in terrenum aliquem portum, sed
in cælum, vnicæ nauigamus, ac vehimur, sibi tu-
tandam, & à diris sed tiosarum opinionum pro-
cellis vindicandam esse, statuerunt: næ illi scili-
cet, bene de Ecclesia Dei mereri, iure meritoq; iu-
dicantur Ecclesiam nauis non comparem, in qua
Magister sit, Episcopus? Nautæ, Clerici? Vectores
Populus esse censeantur? Sed & quemadmodū
non omnes animi ad eam rem necessarias dotes,
in vnum hominem Deus Opt. Max contulit, sed
certos certis tantum, vt plurimum insigniuit: qui
cūque porrò sumus, nos omnes, quæ quisque vir-
tute potissimum præstat, oportet, vt auertendo
nauis periculo, illi, necessariam operam suam mu-

tuò

PREFATIO.

tuò tribuant: nos etiam, Ecclesiæ, ne naufragium faciat, confirmandæ, si pietatis studio tenemur, summum laborem impertiri. Quam ob rem: qui prudentia, doctrina, & auctoritate, cæteris antecel lunt, maximè, in eam solam curam atque cogitationem, incumbere debebunt Longè quippe pulcherrimum fuerit, rem præclaram atque diuinā, in aureum antiquum suum seculum ac statum, ab eis & ad summam Dei laudem, cuius beneficio illustres illas dotes sunt consecuti, & ad Ecclesiæ conservationem, & ad utilitatem Reip. perpetuam restitui. Quo sit: ut nec honorum neque opum contraria spes quemquam ab hoc instituto, nisi virū qui sit in Deum ipsum ingratus, sanè deterrere, vel dehortari, possit Si nos enim cunctas diuitias subleuandæ nauis gratia, in illa tempestate, quò corporis hanc vitam seruemus, in mare iacimus: quantò magis utilius futurum est, quantò honestius, earum fluxæ enim sunt, permutatione, vel etiam interitu, cælestem illam opulentam patriā immortalēque vitam, comparare? Qua in re, reformandæ nimirum Religionis, & conciliandis utrisque animis, dolendum est profectò, parùm ab ijs qui multa piè cupiunt, posse: eos verò, qui plurimum possint, nihil omnino certè velle, vel audere. Enim uero tamen: ut Deum, in cæteris humana prouidētia desperatis rebus difficilimis, quosdam Heroas excitasse videmus, qui eas humeris sustinerent, & quorum virtute, cælesti quodā auxilio, procurentur, absolverenturque: ita quoque nobis, hoc tempore, is, nostræ tempestatis misertus, quosdam excellentis ingenij viros diuinitus impulit, qui rectam viam indicarent, & quoru

A 3 recto

PRAEFATIO.

recto clavo, in tantis opinionum mutuis telis se-
se confodentium æstibus, nos tuti inter Scyllam
& Charybdim, nauigaremus. Hi enim, vnicum si-
bi diuinæ Charitatis scopum, veritatis & concor-
diae Christianæ studium, proponentes, multise-
quidem exantlatis ad id laboribus, proculque se-
motis partium affectibus, ex Propheticis Aposto-
licisque libris, antiquis Concilijs, Sanctorumque
Patrum institutis & commentarijs, ea, quæ perti-
nent ad fidei nostræ, de controversis præsertim re-
bus, sententias, quas, ῥᾳδόγματα vocamus di-
scusserunt: cœperuntque, in ijs, prauam intellige-
tiā, quodammodo, ex antiquæ ad hanc nostrā
Ecclesiæ perpetuato consensu, repurgare. Quib.
se Comites alij iunxere, qui doctrinam morum
formare, vel aliquantum saltem expolire, tenta-
uerunt. Cæteri, ea quæ necessariam ἐραρχί-
av constituant, explicarunt. Quæ quidem
omnia, non mediocri cum modestia scripserunt,
ne quem omnino læsisse viderentur. Verū mā
men, minimè quidam defuere, qui, quos optimi
mos viros imitari vel nolunt, vel nequeant, ipsi,
clam, nulla nisi fortassis odij inuidiæque causa,
nescio quibus inceptis susurris conuellunt. Quo-
rum importunitas, magis faces alijs etiam corda-
ris, subministrat, quam ea ratione, quos excitant
ignes ipsi, eos extinguant, aut extinguere velle iu-
dicentur. Dicam ego, fremant licet, quod sentio,
Qui præsentis Ecclesiæ faciem penitus introspi-
cunt, facile depræhendunt: esse quædam, in qui-
bus rigorem illum moderari, nos oportet: alia
quoque, neque pauca, in quibus, severior discipli-

PRAEFATIO.

4

na requiritur: quædam, quæ tolli prorsus: nonnulla, quæ ex puriore vetere Ecclesia, & Patribus sanctissimis, præterea addi, vel potius, nostra negligētia quæ sunt antiquata, in usum reuocari, deceat. Quod nisi statim, vel breui paulatim, præstetur, non video, quin reliqua, quæ nos velis ac remis defendimus, ea omnia, exulceratis nonnullorum clarorum utriusque factionis virorum animis, maximum discrimen, id quod Deus auertat, prædubio subeant. ITAQUE prudenter admodum, quinimum præclarè, Christianè, pieq;; faciunt: qui, quo calamitatibus huiusmodi, morbisque, medeantur, quascunque rationes ineunt: nonon, adeo crudele religionis dissidium, concordia componatur: impiè flagitioseque, qui, ne hoc accidat, impediunt. Nam si tantum potest in hominum animis, semel concepta Religio, quantum integro superiore proximo biennio, nobis re ipsa, non obscuris signis testatum Gallia reliquit: ut vel Filius Patrem, Pater Filium, Vxor maritum, Maritus vxorem, alij cognatos, adfines & amicos, vti scilicet, unus alterū religionis genus, alij prætulit, reliquerint: neque plebs modo in agris, sed omnes prope Ciuitates, vniuersa fere factionis veriusque Nobilitas Regis sui iussa contempserit: quid: patria iura, Leges, Edicta prosciderint, proculcarint, opesque suas omnes, vitam qua nihil ipsis sanè carius, alacres profuderint: mutuas immanesque cædes exercuerint: denique civilibus huiusmodi cruentisque bellis effecerint ut Christianissimum illud Regnum, florens & antiquum illud Regnum, turpissimæ omnium præda pateret: atque penitus externis hostibus occu-

A 4 pandum,

PREFATIO.

pandum, præberetur exponereturque: numquid tandem alijs prouincijs, cùm ita non reformata Religio certamen eis inuehet & inferet, idē contingere posse, negabimus? Ne nos, amabo te, nimia nostri ipsius amoris cæcitatem fallamus: sed adeò recenti memoria repetamus, à rigidis illis, tā torum motū & tragœdiarum cauſas, profluxisse: eos primū initia, deinde progressus (quorum tā tristes sint exitus) & animasse perquā imprudenter, & armasse. QVARE CLAVDIVS BRITO. NIUS HEDVVS, qui hanc tempestuosam nauim quoq; concēdit, qui sœuæ huius crudelitatis spector fuit: & cuius oculis, vt & vniuerso Orbi, ac nobis, præsens adhuc obuersatur, infelix ac plane miserabilis ille rerū status: existimauit, vti. lēm operā se ciuibus suis totiq; nobili patriæ, na- uaturum: si rationes, partim, ex multo ciuiliū re- rum ysu, partim, ex media Philosophia, ac Theo- logis, in lucem proferret. conciliandis, tot perni- ciosis, à miserè dissecta Religione, turbis. Quēli- brum, quoniā nostris hominibus vtilem commo- dumq; propter multa, iudicauit: ego qui prædica- re virorum illustrium conatus, pro mea virili, vt ni- mirum studeo, ita debeo, eos præcipue, quibus perpurgari contaminata Religio, aut ea perturba- ta componi, vel Respublika melius constitui, pos- se videatur: ne officio deesse meo, cum primū edī iussi. Quidquid igitur Britonius Gallos suos, siue Magistri, siue Consultoris personam indu- ens, admonet vel hortatur: id tibi verò to- tum, tu Germane, tu Belga, qui es in ea- dem nau, scriptum esse pu- ca. Vale.

CLAV.

CLAVDII BRITONII
HEDVI DE VERA ECCLESIAE
Constituendæ ratione
ad Patres in Conci-
lio Tridentino
liber.



Ogitanti mihi, et calamitas
tes istas quibus Respubli-
ca Christiana miserè hoc
tempore affligitur, memo-
ria repetenti: multa s̄pē
occurrere solēt Patres quæ
præter dolorem quem summum mihi sem-
per adferunt, animum quoq; nonnunquam
deliberando distrahant, & ancipitem curā
cogitandi inducant. Reputās enim mecum
quanto haetenus opere laboratum sit in Ec-
clesia Dei repurganda, tranquillitateque ac
pace in ea constituenda, & quām exiguum,
vel potius nullu eius rei fructū sentiamus:
s̄pē in eam opinionem sententiamq; dedu-
cor vt omnia consilia humana consumpta
existimem, nec aliud apud mortales restare,
quām vt ad vnius Dei auxilium confugia-
mus, in eoque precando spes opesq; nostras
omnes collocemus. Quam quidem sententi

A 5 am

DE VERA ECCLESIAE

am meam etiam confirmat, quod cùm vitæ
& morum tanta vbiique sit corruptio, tanta
peruersitas opinionum, vt neque vera salu-
briaq; remedia admittamus, neq; vitia am-
plius pati possimus : nihil aliud superesse
videatur (nisi Deus properè nos respiciat)
quàm vt mutuis vulneribus confecti perca-
mus, & quod ipsis Iudæis contigit, vera per-
fectaque Christi Religio, propter peccata
nostra à nobis auferatur. In diuersam senten-
tiam deducor, cùm superiorum temporum
calamitates mecum expendens, eas cum tem-
poribus nostris subinde compono . Quod
cum facio, non vsque adeo res Christiana de-
plorata, aut in angustum redacta videtur, vt
in totū absumpta salus sit, & non eius restitu-
endæ spes aliqua supersit, dummodo veris
remedijs vtiamur. Replicans enim memo-
riam veterum Patrum, quorum virtus &
infraeti animi celsitudo tum maximè emi-
cuit, cùm maximis in periculis versaren-
tur: Idem nobis faciendum, nec tam ma-
lis cedendum quàm contra audacius eun-
dum censeo. In qua re si minus imita-
tione tantam virtutis præstantiam quan-
ta in Patribus fuit consequi possimus: il-
lud certè præstare debemus, vt volunta-
te quàm proximè accedamus , nec ullo
mo

modo committere, vt in his extremis ma-
lis laborantis Ecclesiæ, vel segnus pu-
gnasse, vel, quod turpius est, stationem
deseruisse videamur. Quam quidem
sententiam Patres, quoniam repudiata su-
periore vos reipsa probare ostenditis, ea-
que de causa conuenistis vt rebus affli-
ctis! opem feratis. Primùm vobis gra-
tias habeo atque ago, quod de Republica
non desperatis, deinde si qui sunt alij
qui & ipsi opis aliquid aut consilij ad-
ferre posse videantur: eos magnopere
moneo atque hortor vt siue coram ades-
se velint, siue scriptis factis siue suis rem
Christianam iuuare, ad vos se recipient
& ad vestras, rationes adiungant.

Quorum equidem voluntatem ac studi-
um, tametsi omnibus rebus quæ huc
pertineant ipsi abundatis, minimè tamen
vobis in hac orbitate Reipublicæ asper-
nandum aut refutandum censeo, non
solùm quia incertum est per quem for-
tasse D E V S Ecclesiæ succurrere ve-
lit, qui s̄æpe humiles & abiectos ho-
mines ad res magnas gerendas excita-
uit, verùm etiam quia in extremis his-
ce periculis & quasi communis patriæ
incendio, non debet non gratissimum
eorum

DE VERA ECCLESIAE

eorum esse studium, qui pro communi bono vltro se offerunt, & ad flammarum restinguendam accurrint. Quos quidē ipse quoque pro virili parte secutus, hos de vera ratione constituendæ Ecclesiæ commentarios conscripsi, opusculum rude sanè & impeditum, sed fide tamen ut spero plenum, nec alia de causa quam amore Religionis & Ecclesiæ susceptum. Quod quidem Patres ad vos scriptum, non in eam partem accipi velim, quasi aut vos docēdos aut officij admōnendos censem, non enim ea instituti est ratio; sed hoc tantum volo, vt si quid Deus in mentem misisse videatur, quod à recta ratione non sit alienum, id vos, quorum iudicio cuncta subiecta esse volo, excerpere, & ad communem usum accommodare possitis: sin rero minus: vt huius saltē studij voluntatisque meæ testificationem apud vos edam, eamque his literis consignatam relinqua. Orans ante oīa Deū opt. maximū vt dū his meditandis elucubrandisque incumbemtē & cogitationes ita dirigere, tenebrasque meas ita illuminare velit, vt quæ vera & recta & cum ipsius voluntate coniuncta sunt, & ad Religionem & Ecclesiam constituantur accommodata, animo concipiā, eaque literis ita prodam, vt & à vobis recte percipiā.

CONSTITVEND. RATIONE.

percipi, & ad Rem publicam Christianam cōponendam adiumentum aliquod adferre possint. Quoniam autem totus sermo de ve
ra ratione Ecclesiæ constituendæ futurus est, primū exponam quidnam causæ esse existimem, quo minus quæ hactenus ei rei adhibita fuere remedia, profuerint, Quo pa
tesfacto, facilior, erit aditus ad ea percipiēn
da quæ reuera adhibere oportet, de quibus secundo loco explicabo.

Ac de superiore quidem. Qui medicinæ faciendæ artem exercent, in magno vitio po
nunt, si quis lippienti oculos quidem inun
gat, cerebrum autem vnde malum ipsum in
oculos delabitur negligat. Negant enim vlla
ratione fieri posse, vt quām diu cerebrū ma
le habeat, oculorum lippitudo depellatur.
Idem de his quoque statuunt qui morbo va
rio & multiplici, qui plures diuersos dolo
res excitat, medicinam adhibet simplicem,
& vni tantū generi doloris leniendo mi
nuendo ūne, non autem vniuerso exhausti
do conueniat. Aiunt quippe hac ratione effi
ci vt non modò alij dolores irritentur, sed
& ille ipse cui medicina adhibita est, aliorū
societate & contagione exulceretur. Sed
quorsum ista? huc nimirum vt huius nostri
temporis non dissimilem rationem esse ostē
dam.

DE VERA ECCLESIAE

dam. Nam ut simpliciter breuiterq; dicam,
quod post tot quæsita remedia Ecclesiæ re-
purgandæ, nullam tamē sentimus alleuatio-
nem malorum, sed contra quæ consanuisse
nonnunquam videntur, continuò recrude-
scunt, & maiores quām ante turbas ēdunt, id
nulla re alia, mea quidem sententia accidit,
quām quōd vni tantūm malo Ecclesiæ curā
do intenti, alterum ex quo illud oritur ha-
ctenus reliquimus incuratum, quodque illi
ipſi cui curando intenti fuimus, & per
se varium & multiplex est, non omnia quæ
oportet remedia curauimus applicanda.

Quid ita? Dicam si prius capita ipsa malo-
rum quæ versantur in Ecclesia, & fundamen-
ta ipsa Reipublicæ nostræ labefactant, bre-
uiter strictimque percurrero. Nam cùm om-
nia vitia morbiq; animi vel vitæ sint ac mo-
rum, vel rationis & intelligentiæ. Primùm
de morum vitæque corruptione non solùm
plebis, sed & ipsorum principum Ecclesiæ,
in quibus maximè fides & religio esse debe-
ret, nemo (credo) est qui ambigat. Etenim
multi ex ijs (nam bonos semper excipio) lu-
xu & ambitione perditæ habēdiq; cupidis-
tate inflammati, cùm alijs exemplum vitæ &
continentiæ esse deberet, ita viuūt, ita se ge-
runt, ita oēs actiones suas (quod bona venia
dicatur)

CONSTITVEND. RATIONE. 8

dicatur) instituunt, vt Ecclesiasticas opes & honores non aliam ad rem comparatas esse dicas, quām vt inde libidines suas illi expleant, omne genus suavitatum conquerant, hę redes locupletent, honores plusquam Diuinos, & quales post hominēs natos in nullo Rege aut principe vlla vnquā vdit ætas, sibi assumant. Quibus rebus astricti primū le-
gem Dei ipsumque Euangelium sui emolu-
menti causa produnt, & quos tueri deberēt homines desertos esse patiuntur. Deinde sa-
crosanctos canones, quibus tamen solis ni-
tuntur, violant & perrumpunt, & quos rerū Ecclesiasticarum fructus decem aut viginti homines castos & pios capere oporteret, illi soli, non dico inepti, & ad nullam partem v-
tile, quiq; nihil in Ecclesiam conferunt stu-
dij, nihil operæ, nihil facultatum, sed quod longè indignius est impuri nonnunquam & scelerati, omniq; genere flagitiorum coo-
perti intercipiunt, & in rem suam conuer-
tunt. Atque hæc quidem cum faciunt, non pudet, non agnoscent peccatum, non erube-
scunt, sed quasi re bene gesta, etiam auctoris
tatem Ecclesiæ factis suis prætendunt, quasi
verò ad auaritiā ambitionē cæterisq; turpis-
cati animilabes excusandas ea qdquā possit,

aut

DE VERA ECCLESIAE

aut quod vix semel aut iterum in omni memoria magnis Reipub. temporibus, & necessitate exigente contigit, id passim, & ubique & sine ullo discrimine imitari, & ad exemplum trahere liceat. Enim uero in his rebus omnibus, non illud modò videndum est quid possumus, sed an id quod possumus, etiam licet, & id quod licet etiam expediat & honestum sit. Nam ea prima mali est labes, inquit Athanasius, cum non ad id quod recte possumus, sed ad id solùm quod possumus respicimus, eoque vitæ nostræ actiones dirigimus, hincenim multi olim extiterunt, & adhuc existunt quotidie non pauci, qui ad ea quæ concupierunt adipiscenda, & quem opinionis errore principatum sibi finixerunt, constabiliendum, non dico canonum sacrosancta scita perrumpere, & Christiana Rempublicam; mille turbis bellorum & litium inuoluere, non verentur, sed ne ad cumulum malorum quidquam reliqui faciant, etiā ipsam veram Religionem & disciplinam Ecclesiasticam, ad salutem datam, & qua sola res Christiana semper stetit, ad perniciem & pestem, turpeque lucrum suum conuertere audeant, relicti que veris studijs pietatis, ad eas res & actiones homines inclinare, & ad solam rem augendam constabiliendamque sunt.

CONSTITVEN. RATIONE.

sunt accommodatæ. Quod quidem cùm sit,
næ puram Christi doctrinam & religionem
quasi sub fermento Pharisæorum, paulatim
obsolescere & occidere necesse est, exoriri
autem & florere noua commenta & super-
stitiones, quæ & à vero Dei cultu nos retrahant,
& ad nescio quas obscurus rerum umbras deducant. Quod quidem an aliquando
factum sit, ijs cogitandum relinquo, qui modò paululum mecum in memoriam redire,
& superiorum temporum res gestas recordari velint. Iam de vitijs rationis & intelli-
gentiæ, hæc non aliunde ferè oriuntur quam
ex supradictis vitijs vitæ ac morum. At quo
pacto? Homines callidi & ingeniosi, & non
tam commutandarum quam euertendarum
rerum cupidi, considerantes fucum sibi fieri,
& prætextu religionis, non aliud quam
opes & potentiam quæri, veram autem reli-
gionem tenebris obduci, his rebus commo-
ti, occasionem arripiunt, qua specie quadam
falso religionis, q̄ peruersè veram imitatur,
hęc in vulgus spargunt. Qua quidem remul-
torum continuò studia consequuntur, qui
vel odio vitiorum, aut Ecclesiasticorum ho-
minum, vel amore rectæ doctrinæ, quam
præse ferunt, ad eos vltro se adiungunt.
Quorum sanè factum non solùm non repre-
hendens.

DE VERA ECCLESIAE

hendēdum, sed & laude dignum esset, si intra veros cancelllos reprehendendorum vi-
tiorum consisterent, & non extra modum,
ultraque casam, quod dicitur prodirent,
Sed ita res est, In vitium ducit culpæ fuga
si caret arte. Populus semel imbutus suspi-
cione vitiorū antistitum & præsulum Eccle-
siæ, non satis habet de ipsis malè existimare:
vitiaque eorum & malefacta odiſſe, sed pro-
pe hominum peccata, ordinem etiā ipsum
Ecclesiasticum in inuidiam & contemptum
adducit, qui sanè primus est error minimè
ferendus, non aliter atque si magistratum
ē Republica tollendum quis existimet, pro-
pterea quod inter eos qui magistratum ge-
runt, nonnulli homines improbi eoque mu-
nere indigni reperiuntur, hunc errorem co-
sequitur aliis haud paulò grauior, nam
quemadmodum Cæcias nubes ita errorer-
orem trahit, non contenti homines impe-
riti, quibus ut ille ait, nihil est iniustius,
præsentem statum ordinemque Ecclesiæ co-
temnere, ex nostrorum hominum mori-
bus & ingenijs eos indicant qui superiori-
bus temporibus fuere, & sanguinem suum,
pro Christo profundentes, hanc nobis for-
mam descriptionemque Ecclesiæ reliquere.
Quam quidem cùm non à Christo & Apo-

sto-

CONSTITVEND. RATIONE. 10

stolis profectam esse statuunt, sed ad auariam & ambitionem Ecclesiasticorum constitutam: postquam ab ea recedunt, & auctoritatem Patrum reijciunt, in mille milleque errores deducuntur. Alij enim odio praesentium morum ac temporum, ritus & cærenias Ecclesiasticas abiijcientes, quibus solis vera Religio in populo, qui rudis & imperfectus est, retinetur: Dum ruptis vinculis fidei veram rationem Religionis vitæque ac morum nullam ineunt nihilque amplius, p sano agunt, tandem efferantur, & quasi immanes euadunt, nec ferè alio quam ut alienis bonis manus adferunt, eaque sibi diripiunt, intendunt. Alij scripta & monumenta Patrum pro nihilo ducentes, dum nihil aliud quam vnius sacræ scripturæ lectionem, sineulla interpretatione veteris Ecclesie, admittunt, inflati varijs opinionibus, monstrant quædam nouarum Religionum inducunt, & pro suo quisq; sensu, opinionis errore lapsi, confingunt. Quæ quidem postquam increbescunt, equidem veram puramq; Christi Religionem, non modò obscurari, sed quædam admodum per Saducæorū falsam doctrinā siebat, penitus obrui & extingui necesse est, qui sanè (quod & vetera exēpla docet) existens ferè est hominū malorū, q; vitio rationis

B 2 ~ &

DE VERA ECCLESIAE

& intelligentiæ concipiuntur, perniciosior quidem, sed tamen haud dissimilis superiori, quam ex vitio morum existere diximus, tametsi ex dissimilibus principijs ferantur. Tam verò ex his duabus pestibus, exoritur tertia, haud scio an vtraque capitalior, & magis perniciosa. Ea autem est, quod quæ una vel maximè deberet esse Ecclesia, his rebus diuersas in partes factionesque distrahitur. Quarum quidem studia cum certo animi iudicio, ac modo nulli, per pauci autem aliquo sequantur, plerique omnes non ratione & intelligētia, sed temeritate quadam & repentina quasi vento impetu animi incitati eo deferuntur. Quo delati, non hoc querūt quid verum sit, quid falsum, quidūc apud illos rectum apud hos prauum (nam vtrinq; & bona sunt & mala) sed hoc solūm spectat, ut in eo perstant, & quas semel partes tuendas suscepint, eas in omnibus & per omnia quo iure quaue iniuria defendant, nec partē ullam boni & æqui admittant. Hinc implacabile illud odium, hinc cædes, hinc incédia hinc direptiones honorū, hinc mortes quæ vtrinque intentantur, hinc etiam acerbissimæ illæ odiosissimæque contentiones, quæ tamen si proprius aspiciantur, non tam rerū quæ verborum pugnæ sunt, & post omnia dispu-

CONSTITVEND. R ATIONE.

ii

disputata in minutis quasdam, easque minime necessarias quæstiunculas euadunt, quas equidem vir bonus & verè pius indignas iudicet, ut eorum causa vel tria verba committentur, tantum abest ut grauiores contentiones, quales hodie videmus grauissimas, ea de re suscipi debeat. Quod videns Constantinus Imperator, scribens ad Alexandru Alexandriæ Episcopum, & Arrium presbyterum, quorum tum contentio inimicitij incensa gliscere cœperat, prudenter vtrunque monet, primùm ne de rebus ociosis & ad beatam vitam non necessarijs contentionis disputetur. Deinde si id forte impetrari nequeat, ne ipsorum parietes & scholarum spatia controuersia exeat, & in vulgus erumpat, quod si nec hoc integrum sit, ne saltem propter restantillas, ecclesiæ pacem ac concordiam turbare velint. Hæc cùm ita se habent, & tria sint potissimi genera vitiorum quæ Christianam Rem publicam hoc tempore infestent, morum vnum, opinionum alterum, & tertium factionū: age videamus quidnam causæ sit quo minus remedia habentus adhibita profuerunt, Id enim proposueramus explicandum. Et quidem si verum est quod supra demonstrauimus, corpore pluri bus morbis affecto, qui alij ex alijs nascū-

B 3 tur,

DE VERA ECCLESIAE

tur, non satis esse vni morbo medicinam ad
hibere, nisi alij simul curen̄t, nihil sanē mi-
rum est, in tot malis & vulneribus laboran-
tis Ecclesiæ, nihil profuisse curationes hacte-
nus adhibitas, quæ vni tantum malo meden-
do quoquo modo fuere accommodatæ.

Quid ita verò? Quoniam solis prauis opini-
onibus tollendis intenti, malos mores tam
Ecclesiasticorum quam prophanorum ho-
minum, non solum incuratos reliquimus,
sed si verè dicendum est, etiam fouimus &
auximus. Nam quod populus ab auctoritate
Ecclesiæ recedens, in prauas illas pernicioſas
que opiniones erroresque incidit, non alia-
re verius contingit, ut modò ostendimus,
quam quod partim offendit ambitione, luxu-
ria, auaritia Ecclesiasticorum, ad quos quis po-
tius quam ad eorum doctrinam se confert;
partim verò à pastoribus illis suis neglegetus
non potest non lupis esse expositus, & ab ijs
deuorari. Et ideo ut ad prauas opiniones
sectasque tollendas, omnia tentes, nihil non
molaris, cuncta sursum ac deorsum voluas,
nec quicquam omittas, quod ad eam rem
quoquo modo facere videatur, quādiu ma-
la exēpla Ecclesiasticū nō auferas, negligē
tiāq; eorum non corrigas, aut vehementer
erro, aut nihilo plus agas quā si lippi oculos

in p. 11



inungas, capiti autem, vnde malum ipsum quotidiè oritur & in oculos influit, nullam medicinam adhibeas. Atqui in Cathedra Moysi sedēt (inquires) Scribē & Pharisaī, quę cunque præceperint vobis, facite, facta autē eorum nolite imitari. Audio, nec est verò de nihilo quod dicis. Nam ex hominum vitijs res ipsas metiri nequaquam fas est, sed amabo te, postquam tuo vitio tuaque negligētia, populus rerum imperitus, semel ruere, & cuius vitam despicit eius quoque doctrinā comtemnere cœpit, dic mihi quomodo tu finem illi statues, & errori semel concepto modum pones? Enim uero ut ab alijs viris bonis & integris non male dicatur, ex homi num prauis moribus res ipsas non esse æstimandas, abs te certè hæc vox audiri & ferri non debet, qui horum es causa malorum, & de cuius manu Deus repetet animas eorum qui tibi commissi, tuo vitio & negligentia perierunt. Vos estis lux mundi, inquit Christus, vos estis sal terræ, quod si sal euauerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quo queso ore tui oues tuas obiurges quod errant, qui cum dux eorum sis, nunquam eas respicis, nec veram viam commonstras, & si quem

B 4 mon.

DE VERA ECCLESIAE

monstras, eam s^æpe monstras, quæ in foue-
am non quæ ad vitam ducit . Quomodo ijs
dicas ut sacrosanctos canones & patrum san-
cta instituta sequantur , & ecce tu ipse non
solūm digito non attingis, sed quod deteri-
us est, tu^q turpitudinis explendæ gratia, quo
tidie violas & perueritis Hypocrita tu qui
te ducem & pastorem eorum profiteris, pri-
mūm ipse in viam redi, deinde veni & reduc
oues tuas, quæ certè vocem tuam non audi-
ent, nec vñquam ab erroribus suis desistent,
quamdiu tu & tui similes homines Ecclesia-
stici prauos mores vestros & negligentiam
vnde originem ducunt non correxeritis.
Quod quidem quoniam hactenus factum
non est, nec vlla vera ratio inita qua fieri pos-
set, quid mirum si nullam adhuc alleuatio-
nem se userimus malorum? Quæ quidem ma-
la inde quoque vires sumpserunt, quod pre-
ter corruptos mores quos incuratos reli-
quimus, factiones nō modò nō sustulimus,
sed quod magis indignū est, ipsi etiam alii
mus & souimus . Nam quid diçam eos qui
hujc rei hactenus præfuerunt, ita ferè fuisse
animatos , vt calida & periculosa consilia
quietis antepONENTES , & ad viuum omnia
refecantes, non nisi extrema sequenda duce-
rent,

rent, nec in ullo vel minimo aut de suo concedendum aut aduersarios audiendos censerent, quid illud? nonne saepe quoque factum vidimus, si qui essent homines & qui-
ores, qui leuiora consilia probarent, qui-
que non omnia igne & ferro nec pertina-
cibus disputationibus definiri posse iudica-
rent, aliquid etiam in medium esse delibe-
randum, quo errantes in viam reuocari,
& nunc dissimulando, nunc conniuendo,
nunc denique de iure suo paululum con-
cedendo ad pacem & tranquillitatem res
deduci posset: quid inquam nonne sae-
pe vidimus, ut in grauissimam confessim
indignationem, suspicionemque inciderint,
& non calumnias modò vitiosorum homi-
num, verum etiam vincula, cruciatus &
mortes perpeti cogerentur? Evidem
hac re frequenter accidit, ut boni quidem,
qui alioqui Ecclesiæ magno usui esse potu-
issent, falsis criminationibus, ipsiusque
adeò rei indignitate commoti, à Republica
se remouerint, & ad vitam otiosam, non-
nunquam etiam ad aduersarios se contu-
lerint, mali vero ac dubij, offensi his rebus
& quasi irritati, se ipsi confirmarunt, &
ad errores suos propagandos animos sum-
pserunt, scipiosque maiores ad rem gerendam
B 5 fecerint,

DE VERA ECCLESIAE

fecerint. Est enim verissimum illud vetus,
qui nimium emungit, elicit sanguinem, fit-
que s̄æpenumerò, vt dum nimis præfracte
sua quis tuetur, nec in vlla parte cedit, aut ad
id quod adest quodque præsens est se acco-
modat, omnia tandem amittat. Ergo nō om-
nibus malis, quibus oportuit, medicinā ad-
hibitam fuisse, eamque vnam causam esse
quo minus quidquam promotum sit, demā-
stratum est. Iam illi ipsi malo cui curan-
do potessimū intenti fuimus, ecquod ido-
neum medicamentum & quod omnes in
partes sufficiat apposuerimus, videamus.
Ac quoniam quidem magnum in medico
vitium esse ostendimus, morbo multiplici
& vario, simplex adhibere remedium, quod
non omnibus morbi partibus conueniat:
valde equidē vereor, si quidem confuetudo
imitanda medicorum est, ne opinionibus il-
lis falsis (malo sanè vario & multiplici) sim-
pliciorem quam oportet medicinā prebue-
rimus, nec omnia quæsiuerimus q̄ ad tantū
malum depellendum exauriendum que re-
quiruntur: Quod quidem vt plenē perfecte
que intelligi possit, repetam rem paulò al-
tius, & quid hactenus desideratū sit, demon-
strabo. Cū duę sint animi partes, quarū una
mentis & ratiōis est cōpos, cuius propria est
veri

veri inquisitio atque inuestigatio. Altera vero
expers, que in expetendo fugiendoq; cer-
nitur, duo quoq; sunt genera vitiorum, quib.
animus ferè afficitur. Ex quib. que rationis
componi parti accidunt, sunt ignorantia &
error, quæ aut experti, amor & odium. Ex
his quatuor vitijs inter se colligatis implica-
tisq; malum illud cōflari atque effici ait, quo
laborat hi qui opinionis errore decepti, pra-
uas sectas religionum aut cōstituit aut sequuntur,
quos hæreticos vocamus. Quos quidem
primum veri ipsius ignoratione laborare, ne-
minem puto esse q̄ ambigat. Nam quod aliquem
mihi proferas, qui verū sciens, falsam aliquam
opinionem sui emolumenti aut honoris causa
tueat ac defendat, eum equidem non hereticum, sed
sceleratum & facinorosum dicā, nec ratiōis vi-
tio laborare, sed volūtatis, q̄ aliter se habet
in heretico, cui prima mali pars est īscitia &
ignoratio veritatis. Sed hec quidem ignoratia
non ita multum in se habet mali, quādiu sola
& simplex est, & id quod ignorat, ignorare
quoque se quis existimat, sed postquam ad
eam porrō accedit error, qui facit ut id
quod ignorat, scire se quis arbitretur, eius-
que doctorem & magistrum profiteatur, quā
ignoratiā duplē philosophi vocat. Iā vero
pos ad maiores mot⁹ turbasq; spectare īcipit.

Cui

DE VERA ECCLESIAE

Cui quidem errori & ignorantiae, etiam af-
fines esse eos qui hæretici dicuntur mani-
festius est, quam ut multis verbis ad eā rem
sit opus, estque hic secundus quasi gradus
quo ad hæresim itur. Verum non omnis qui
errat eiusque quod ignorat scientiam præ-
se fert, in hæreticis habendus est, quid enim
si leuitate quadam sine magna affectione
animi in eam sententiam sit ductus? Itaque
ut hæreticus sit & habeatur, præter ratioci-
naticem partem animi, etiam appetitricem
affectionem habere oportet. In quo ad tertium
gradum ad hæresim condendum priore lo-
co est amor, quo quis opinionem suam con-
tra veritatem conceptam vehementius quam
decet completitur. Cuius equidem tam
vix in nostris hominibus sæpè videmus, vt
ad furorem penè adacti viderentur, adeò ni-
hil neque tam absurdum neque tam alienū
non dico à recta religione sed à communis-
su est, quo non illius falsæ opinionis tuendę
gratia se abduci patiantur. Quę quidem li-
teris prodita, fabulis quam rebus gestis si-
miliora posteris videbuntur. Sed quantum-
cunque quis sit insciens, opiniosus, & sui a-
mans, nondum tamen plenè perfectumque
hæretici nomen in eo poni potest, nisi vnum
adhuc accedat, ex odij fonte haustum obsti-
nata

nata contumacia siue contumax obstinacia,
que in magnitudine animi nimiaque cu-
piditate principatus ferè nasci solet, E-
ius illa vis est ut quis reliquos præ se con-
temnens, & pro nihilo ducens, non solum
ab opinione sua dimoueri se non patia-
tur, quacunque tandem doctrina confuta-
tione, persuasione, vel vi denique & aucto-
ritate prematur: sed & cunctis hominibus
cuncteq; Ecclesiæ se preponens, nihil aliud
cogitat, nihil molitur aliud quam ut dijs &
hominib. inuitis perniciosum errorē suum
propaget, & in vniuersam Rempublicam in-
fundat. Quo quidem quicunque deducti
sunt, næ illi ad supremum gradum heresis
peruenerunt, non vnum quidem simplex,
sed q. ingentia vulnera tāquā beluas in ani-
mis suis circumferentes, quibus vniuer-
sum orbē perturbant & infestant. Ac quan-
quā quidem non omnes omnibus iuxta la-
borent, sed alij quidem simplici ignorantia
magis quam alia re quapiam; alij errore du-
plici, nonnulli pertinacia, plurimi verò fu-
rore (nam videoas plerosque homines rudes
& imperitos tanquam rabidos ferri & ex-
trase positos) omnium tamen hoc commu-
ne est, vt omnibus aliquo modo sint affecti.
Sed videamus nūc quibus remedij; s cuique

mas

DE VERA ECCLESIAE

malo sit medendum, sic enim planum fiet,
ecquid remedia quibus hactenus vsi sumus
recta & idonea fuerint nec ne. Et quidem
quoniam demonstratum est, omnia haec ma-
la, partim cogitatiois esse, partim appetitus:
per rerum naturam sic comparatum est, vt quod
illis adhibetur remedium, doctrina voce-
tur, quod verò his, disciplina . Sed cùm
utraque rursum sint duplia, sic vt quæ
in rationis compote parte versatur igno-
rantia, simplex sit vel duplex, & quæ in
appetitu est cupiditas, amor vel odium; ea-
dem quoque naturæ duce fit, vt tam do-
ctrinæ quæ disciplinæ totidem sint spe-
cies, quæ singulæ singulis malis sanandis ac
commodantur; Nam quæ ad simplicem igno-
rantiam tollendam pertinet, est quæ sim-
plici nomine vocatur doctrina, qua rudis
hominis animus qui nullis adhuc opinio-
nibus infectus, tanquam tabula rasa est, pri-
mùm informatur & imbuitur. Quæ au-
tem ad duplēm, est facultas illa & ratio,
qua animus errore vagus, tum errore i-
psō liberatur, quod fit cùm minutis in-
terrogatiunculis tanquam punctis eo quis
paulatim deducitur, vt quæ pro veris pri-
us habuit, vana & futile, & tam ipsa
sibi quæ inter se contraria esse intelligat:

tum

tum autem in his, quæ vera rectaque sunt, ratione stabili confirmatur, quod sit cùm ex primis principijs & certis rerum argumentis discit, firma ea esse & inter se consentanea. Quæ quidem facultas, tametsi per se longè præclarior est, quam simplex doctrina, quippe quod illa non aliud quam veras persuasions in animum inducat, quæ tanquam Dædali statuæ facilè fuginunt, nisi rationibus tanquam cathenis ligentur: hæc autem veram perfectamque scientiam ingeneret, quæ rationibus constans alijs ex alijs nexit ad prima principia nititur, non potest tamen plenè perficere quod vult, nisi cum simplici doctrina, tanquam suo fundamento, sit coniuncta. Quæ amori & obstinationi curandæ disciplinæ adhibetur, eam vel paternam et domesticam statuunt, vel publicam & iudicialem: Paterna est quæ egrotum amore animum, non vi, sed arte tractat, & paulatim ad se reducit, nunc quidem admonendo, nunc exhortando, nunc obiurgando, nunc orando, nunc tolerando, nunc cōniuendo, nunc clementer castigando, cum eoque verborū gravitatem et acrimoniā coniugēdo, nunc alia deniq; atq; alia moliēdo, nec quicquā omitendo, q; ad furorē leniendū minuendumq; pertinet.

DE VERA ECCLESIAE

pertinere possit. Veteres hanc partem disciplinę persuasionem vocant, quæ si propter magnitudinem mali & inualescentem obstinatiam non proficiat, itur tandem ad publicam & iudicialem. Ea autem est qua animaduertitur in eos qui contumaces & prefracti, neque rectæ doctrinæ, neque manifestis rerum argumentis, neque denique amicis exhortationibus dant locū, qui que omnes leges & canones, omnemque auctoritatem Patrum & Ecclesiæ moremque maiorū contemnentes & aperte irridentes, hoc solum agunt, ut suas opiniones falsas & perueras tanquam faces in Ecclesiam conijciant, & ad se nomenque suum totam Rempublicam conuertant. Ad quorum quidem audaciam refrenandam, perditosque conatus vindicando, non aliud extare remedium quā disciplinam iudicialem & publicam, eaque nisi funditus perire velimus, subinde opus esse, ut qui verbis & disputatione nequeūt, vinculis saltem & carcere fatigentur, exque hominum communitate exterminentur, neminem credo esse sanum qui non intelligat. Hęc cùm ita sint: redeat nunc vnde digressa est oratio, & dispiciamus an ad sectas illas hæreticorū curandas, omnibus istis remedis usi fuerimus nec ne. Ac primū qui dem

CONSTITVEN. RATIONE.

17

dem de simplici doctrina, quæ rudibus animis informandis accommodata est, verum eam diligentiam publicè & priuatim, tum quidem populo erudiendo, tum verò pueris qui seminaria sunt Reipublice docendis, præstiterimus quam oportet: velim equidem bona fide eos mecum expédere, quib. salus Eccl. aliquo modo curæ est. Certè inueniēt nisi vehementer fallor in tanta aduersariorū diligentia, nos nō modò intelligentes, sed planè socordes & negligentes fuisse, nec vlla de rem minus quam de rectæ Religionis preceptis rudi populo & primæ puerorū ætati diligenter tradendis cogitasse. Qua qđem ratione effectum est, vt aduersarijs nihil admodum fuerit difficile, magnam partem plebis ad se trahere, & in suam sententiam adducere. Nam cùm homini à natura sit insitū, vt scire desideret, ille hac in parte continuo multitudinem suā facit, & in populi animos quasi influit, qui primus eum suscipit instituendū. Quod eo etiā facilius fuit ijs qui nouas doctrinas sequuntur, quod vulgus natura sua earum rerum ferè est audīum quas & novas & inauditas, & ad licentiam facere inteligit. De secūdo remedio qđ ad duplice ignorantia tollendam, & falsis opinionib. animos liberandos pertinere diximus, equidem ne-

C gari

DE VERA ECCLESIAE

gari non potest, plurima doctorum homi-
num immortalia extare scripta, quibus er-
tores nostri temporis sedulò confutantur,
sed quo minus profuerint non est difficile
iudicare, si verum est quod supra diximus,
hoc remedium non prodesse, si cum vera
rectaque doctrina quam omnino hactenus
à Republica nostra absuisse diximus, nō fue-
rit coniunctum. Ut præterea communem
rudemque populum cui inest maxima imbe-
cillitas consilij, non esse capacem earum ra-
tionum, quibus errores Hæreticorum refel-
luntur, & exemplo vitæ magis, quam subti-
li disputatione commoueri. Porrò doctos
& ingeniosos ita ferè esse affectos, ut non
facilè aut desistant sententia, aut se vinci
patientur, sed si quando arctius preman-
tut, nunquam aut rimam illis deesse, per
quam elabantur, aut latebram in quam se re-
cipiant. Qua quidem causa fit, ut aliud sem-
per ex alio quærendo res tandem ad tenues
quasdā quæstiūculas redigatur, q̄ si diligen-
ter inspiciantur, nihil cū vera Religione ha-
bent commune, aut certè nullo omnino cū
periculo, subinde etiam cum aliquo bono
ignorantur. De disciplina quæ vel paterna
eit, vel iudicaria: hic haud ferè aliter atq; in
superioribus accidit. Omittentes enim ple-
ri-

tique remedia leniora quibus persuasione
magis quam vi ægroti animi tractantur, &
quod uno impetu non potest, longinquita-
te temporis cuius magna vis est efficitur; ad
hoc ferè propensi semper fuimus, ut acriori-
bus potius remedij vteremur, & aduersari-
os non tam sanare, quam exulcerare velle
videremur. Et tamen quemadmodum refu-
tatoriam facultatem sine doctrina nihil pos-
se, imò verò nocere diximus, ita quoque Iu-
diciaria animaduersio nisi paternam admoni-
tionem habeat sibi adiunctam, non solùm
nihil prodest, verum etiam irritat & inflam-
mat vulgi animos, aduersum eos qui hoc
asperiore genere remediorum non rectè v-
tuntur, & metui quam chari esse & diligè
malunt. Mitto ad hoc genus remedij cum
sit extremum & ultimum, ut ad vrendum &
secundū, non nisi summa necessitate, & inui-
te ac raro, si nulla reperiatur alia medicina,
esse veniendum, ne aut crudeles videamur
aut nimia contentione res in heruum erum-
pat, aut denique si totum aliquem populum
tabes inuaserit, frustrè omnis labor secundū
August. suscipiat. Multitudine enim corrus-
pta, pœnæ capitales, non modò terrori non
sunt, sed etiā gloriose ducuntur ijs, q̄ quasi
p̄ cōmuni salute vitâ profūdere videt. Ergo

C 2 quemad-

DE VERA ECCLESIAE

quemadmodum supra demonstratum est, ex
tribus malis quibus laborat Ecclesia, vnitā-
tum hactenus remedium fuisse quæ situm:
Ita ex his quoque quæ nunc dicta sunt ap-
paret, etiā illi ipsi cui medicina facta est, non
omnia remedia quæ oportet plenè perfecte,
quæ sed inchoatum dūtaxat & mancū quid-
dam fuisse adhibitum, quæ est sola causa cur
in tanto nisu conatuque Reipublicæ, nihil
hactenus sit effectum, Nec verò ad rem per-
tinet, quod quibusdam infimis in ordine
ecclesiastico nescio quæ norma subinde fue-
rit præscripta: id enim perinde est, atque si
fontem in medio foro singas turbidum &
cœnosum, ex quo per tubos & canales a-
qua per omnes regiones vrbis ducatur.
Quemadmodum enim nihil prodest tubos
& canales purgare, nisi fons ipse ante omnia
aperiatur, & purgetur, ita nec inferioribus
ordinibus Ecclesiasticis legem ponere pro-
dest, nisi principibus ipsis ante omnia mo-
dus ponatur. Nā vt cupitatibus principum
& vicijs infici solet tota ciuitas, sic emenda-
ri & corrigi, inquit ille, continentia. Nec tan-
tum mali est peccare principes (quanquam
est hoc magnum per se ipsum malum) quan-
tum illud, quod permulti imitatores prin-
cipum existunt, adeò vt vñitia non solùm cō-
cipiant

cipient ipsi, sed ea infundant in ciuitatem, neque solum obsint quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato noceant, adeo ut nemmo propere esset qui non suas libidines frangeret, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatibus ijsdem tenerentur. Haud dissimilis quoque ratio doctrinæ est. Nam cum præceptorum Dei duo sint genera, Maiora, & Minora, frustra in minora excolenda multum curæ laborisque ponitur, nisi maiora præcipue excolatur. Nam hoc est quod tradit Christus misericordia se velle & non sacrificium. Illa oportere facere, maiora dicimus quæ omnia etiam sacrificia superant, et pro vero cibo sunt, haec verò minora, non omittere, quæ tanquam aduentitia, pro condimento apud Orig. habentur. Absoluta est ea pars instituti operis, quæ cur remedia cōponendæ Ecclesiæ quibus hactenus usi sumus, nullum adiumentum attulerunt, expli-
candum suscepimus.

Deinceps sequitur ut quæ alia remedia ipsi adhibenda censemus, vera & solida, dicendum sit, hoc enim secundo loco proposueram exquirendū. Quo tamen priusquam perueniam, ad rem pertinere arbitror, ut qua causa factum sit, quo minus vera remedia ha-

C 3 EtenuS

DE VERA ECCLESIAE

Etens quæsita fuerint intelligatur. Quod quidem si quis inscitia factum existimet, & quibus medicamentis uti oporteat hacten ignoratum, nequaquam illi assentiar. Ostdunt enim plurium & propè innumerabilium doctissimorum & sanctissimorum hominum diuina monumenta, nullum fuisse tempus quod non suos habuerit æquos & intelligentes, & communis concordiae amates viros, qui qua ratione afflictæ Ecclesiæ succurri possit, semper demonstrarūt. Quoniam igitur pactò id factū dicem⁹? Enim uero non alio, ne faciam longius, & paucis verum absoluam, quam vitio maxime eorum, qui ei rei hactenus præfuerūt. Qui quidem animaduertentes veram rationem nullā iniri posse, nisi de potentia & opib. ambitioneq; & luxu suo aliquid ipsi deponerēt, nullo modo permittendū putarūt ut huc perueniretur. Cum quib. se consociantes homines factiosi & præfracti, & ipsi nulla in recedendū nec ullam partē boni æquiq; admittendā duxerunt. Imò dum ambo non alio respiciunt, quam ad spem quandam auctoritatis & potentiae Ecclesiasticæ, quam nescio quibus in rebus externis Imperiosissime mandatis constituunt, & mordicus semper tenendam & defendendam sentiunt, omnibusq; adeo dictis & factis suis prætendunt. Non

solūm veram solidamque laudem & aucto-
ritatem Ecclesiæ negligunt, quæ sola vir-
tute & sanis consilijs continetur. Verūm
etiam in inuidiā & falsum crimen adducunt
eos, qui eam ipsam veram auctoritatem Ec-
clesię afferentes, in commune deliberant, &
ad vnam salutem Reipublicę Christianę tan-
quam ad scopum consiliorum suorum
rationem diriguunt. Quòd quidem quam-
diu fiet, nulla vñquam spes erit Ecclesiæ re-
tihuendæ, sed quicquid ab hoc genere ho-
ninibus factiosis & cupidis adferetur re-
nedij, id ab una parte falsarum opinionum
vindicandarum, semper nimis erit acre ac
violentum, quod perdurare non potest,
ab altera verò morum conformandorum
nimis leue ac remissum, quòd non alio per-
inet, quām vt in diem malum abeat, exem-
pli imperitorum medicorum, qui cùm æ-
rotum sanare nequeunt, rationem querūt,
qua morbum trahere, vt ad tempus in le-
to languentem conseruare possint. Qui
ergo sunt, qui ad vera remedia inuenienda
constituendaque maximè videntur idoneis
Equidem hoc est quòd modò volebam, mi-
nimè videri alienum à proposito, si in eam
paulo accuratiūs inquiratur. Nam in-
tentis idoneis hominibus, quibus tantæ

C 4 rei

DE VERA ECCLESIAE

rei administratio committatur : facile
ipsi porrò videbunt, quidnam consilij sit
capiendum . Itaque ut hunc delectum
recte facere possimus, perquiramus, si vi-
detur, quot nam potissimum sint gene-
ra hominum in Republica Christiana , &
qua ratione alij ab alijs intercernantur.
Et quidem quoniam Christus homines sa-
pe ita distinguit, ut alios perfectos dicat,
alios imperfectos, & rursum ex imperfe-
ctis alios bonos, alios malos : puto & nos
quantum ad præsens institutum attinet, ijs-
dem vestigijs insistere debere. Primum
enim quosdam esse statuo homines diuinos
& perfectos, tametsi eos per paucos, & vt in-
quit ille, vix numero totidem quot Theba-
rum portæ vel diuitis ostia Nili : qui supra
res humanas & in casu positas collocati, in v-
na rerum diuinarum contemplatione acqui-
escunt, ad easque cognoscendas rectis stu-
dijs contendunt. Qui quidem quoniam
præ studio veræ pietatis, quæ in quæstionē
disceptionemque humanam non cadit, ad
inferiores hasce cōtrouersias tractandas nū-
quam nisi inuiti se accommodant; non vni-
magis quam alteri parti sunt addicti ; &
si quandoque necessitate coacti ad alio-
rum controvērsias dirimendas se demis-
tunt,

tunt, quasi ab alta specula, à rebus occulatis & admirabilibus, ad res communes & manifestas descendunt, quas acutissimè & celerrimè videntes, facilimè explicant rationem & quid quaque in re verum aut falsum, expetendum aut fugiendum sit expedient. Post hos sunt aliij non perfecti illi quidem, nec supra res istas controueras constituti, sed boni tamen, vt qui in ijs sic versantur vt non aliud quam verum ipsum quærant, à studijs autem partium q̄ longissimè absint. Sed & ab ijs quæ incerta sunt, assensionem cohibent, certa autem & explorata liberè & sine vlla hæsitatione circuitioneque pronuntiant, à quacunque tandem parte sint profecta. Hos sequuntur tertij, in quibus non quidem tantum est roboris aut virium vt ab omnibus partium studio se retrahere possint, sed tamen cùm ad hos aut illos se applicant id consideratè & certo quodam faciunt animi iudicio, nec dissimulant quedam ytrinq; esse bona, quedam etiam mala, quæ si partim in vnū coire, partim amputari ac rejici queant, de reliquis non ita difficile posse conuenire. Qui quartū locum obtinent, sunt homines rudes, & simplices, minimè tamen mali, qui adolescentulorum more, ardore quodā

C 5 amoris,

DE VERA ECCLESIAE

amoris, non verò stabilitate & constantia,
de rebus iudicant, & ad hanc vel illam par-
tem se conferunt . Quinto loco sunt qui
non studio religionis, sed odio vel amore
partium, ad vnam aut alteram se applicant.
Cui ita sunt affixi, vt si vel in minimo aliter
quis sentiat, nihil sentiat, nec quiddā audiāt
quod ad tranquillitatē & otium communē-
que concordiam pertinere videatur. Postre-
mū sunt qui solis commodis & cupiditatib.
suis omnia metientes, nec ipsi Religionem
propter se expetūt, sed propter opes & potē-
tiam, quas his illisue partib. sequendis sibi
parant aut constabiliunt , ad quas inflam-
mati auiditate rapiuntur. Quos equidē tan-
tū abest vt verę religionis studiosos dixeris,
vt ne ullius quidem religionis haberi debea-
nt, quemadmodū nec illi qui amore vel o-
dio incitati in vnam aut alteram partem fe-
runtur. Et quidem cū de sex istis generibus
hominum primi tantū sint perfecti: de reli-
quis quinq; sici iudico, vt qui secundi & ter-
tij sunt ordinis, quāq; imperfecti sint, in bo-
nis tamen habeantur: qui quinti & sexti in
malis: q verò quarti cū bonis boni, cū malis
autē sint mali. Ceterum videamus nūc qui
nam ex his omnibus idonei censeri debeat,
quibus componendæ religionis & Ecclesiæ
munus

munus committatur. Ac primum res ipsa nisi equidem fallor, vel me tacente loquitur nihil minus conuenire, quam ut tanti munera administratio ijs commendetur, qui Religionem non propter se, sed propter ambitionem, opesque & potentiam sequuntur eaque tanquam instrumento ad auaritiam cupiditatemque suam abutantur, quos ne inter ciues quidem Ecclesiæ censendos esse diximus, tantum abest ut eius gerendæ gubernandæque partem aliquam capessant.

Sed nec eos quoq; huic muneri rectè præficias, qui rudes & imperiti, tametsi virtutem & Religionem ex animo colunt. Id tamen nec consideratè faciunt, nec constanter, sed cæco quodam impetu, quo tanquam ęstu maris in opinionē aliquā siue verā siue falsā impellūtur. Cū his vtrisq; numerandi sunt q; odio vel amore ducti ad has aut illas partes accedūt. Qui quidē inter superiores medij interiecti, neq; verū cū imperitis satis vident, præpedientibus nebulis irarū & affectionum, neque religionem ipsam cū cupidis ex animo cōpleteuntur, q; tāquā fictū nomine factis suis inducūt. Quinimo qm̄ cōmune oīm triū est, ut religionū quasdā quasi sectas constituāt, pro ijsq; nunquā niti definant, nemo credo est, qui non perspiciat nihil

DE VERA ECCLESIAE

nihil minus, quām ad hanc rem eos esse idoneos. Qui quidem suæ quique sectæ propagandæ augendæque cupidi, nō possunt, nō in eo quod amant cæcutire. Etenim quemadmodū sophista ille Cleos, meliores Olympiorum certaminū diribitores futuros fuisse dicebat, si Cleensiū nemo certaret. Ita qui his rebus rectè præfuturi sunt, merito ipsi de victoria contendere non debent. Nam ut Græcorū milites cùm de prærogatiuis suffragia ferrent, singuli semetipsos optimos esse iudicabant, simillimè hoc genus homines, in reb. ac cōtrouersijs istis dijudicandis, suas quiq; partes statuunt meliores. Ad quos ergo ibimus, quibus harū rerum disceptationem arbitriumq; committamus. Enimuero vetus est quod dicitur, scissa seditione ciuitate, eos viros bonos & prudentes rebusque agitatos, rei componendæ maximè aptos esse, qui obliti commodorū suorum, & expertes seditionis, ad neutram partem se applicuerunt. Hi enim tanquam Theramenis Cothurnus, qui vtrique pedi conueniebat, nō vni magis quām alteri parti addicti, & vtriq; tamē amici demūm idonei sunt, qui tam malis vtrinque tollendis, quām bonis adsciscendis, ciues suos ad pacem & concordiam reducant. Huiusmo-

di



di ergo si qui sunt inter mortales, non sunt
profectò alij, q̄ diuini illi & perfecti viri,
quos primo loco posuimus. Qui quidem à
turbis istis opinionum alieni, rebusque di-
nis cōtemplandis exercitati, soli me Hercle
digni videntur quibus componendæ Eccle-
siæ munus deferatur. Sed vbinam potissi-
mum eos possimus inuenire s̄ est enim ge-
nus hominum perrarum, & inuentos quo-
modo ad hanc rem suscipiendam adduce-
mus: nam in solitudinem se abdentes, non
nisi inuiti ad Rem publicam accedunt: enim
uerò quoniam vtrunque non sine summa
difficultate est, res ipsa nos cogit, vt eorum
paucitatem ex ijs suppleamus, qui secundi
sunt ordinis. In quibus quanquam non tan-
ta vis inest boni, vt supra res humanas se at-
tollere queant, student tamē veritati paciq;
& concordia, nec in vllas factiones partesq;
discedunt. Qui quidem quoniam nec ipsi
valdè multi sunt, aut passim se offerunt, nō
sunt quoque aspernandi, quos in tertio or-
dine collocauimus, qui tametsi à sectis &
studijs partium non omnino sunt remoti,
sunt tamen equiores, habentq; hoc præcla-
rū, vt malis quæ vtrinque esse fatentur, re-
medium dari optent, bona autem elici & in-
trum iungi, quo facto de reliquis non ita
mul,

DE VERA ECCLESIAE

multū fortasse controuertetur, sed quæ nūc
diuersæ videntur esse sectæ in vnā eandēq;
sententiā coalescent. Verūm querat hic alia
quis quomodo hæc sex genera hominū in-
tercerni, & alij ab alijs dinosci possint. Equi-
dē quanquā id non admodū facile sit ad di-
judicandū, extat tamē certa formula ipsius
Christi qua id cōmodè efficias. Quid ergo
ille ait? Ex fructib. inquit, eorū cognoscetis
eos. At quo pacto & ex quibusnam fructib.
vitæ & morum, nam hi demum veri fructus
& pars sunt rectæ fidei & Religionis.
Progreditur aliquis in medium homolau-
tus ac splendidus, multò stipatus comita-
tu, sacerdotia possidens compluria, de Ec-
clesia administranda populoq; docendo pa-
rūm sollicitus, quid de illo dicemus, aut cu-
ius nā ordinis ex supra enumeratis esse iudi-
cabimus? Certè secundūm ea quæ apparent,
vix est vt alio loco quām in sexto collocari
possit. Inter eos, qui angusti & parui animi
homines, & commodis suis omnia ponde-
rantes, quæstui habent religionem, eamq;ue
funditus euerti mallent, quām de opibus
suis & potentia luxuq;ue & ambitione quid
quam minuere. Est aliis doctus & acu-
tus, nec minus dicendi facultate instru-
etus, qui omnem antiquitatem & usum

Eccles.



Ecclesiæ, omnesque Patres (nisi cùm ab ipso
facere videntur) fortiter contemnens, se
solum magistrum iactat veritatis, nec quid-
quam audit eorum quæ ab alijs proferūtur,
quantumuis cōmodè dicantur, quēnam eū
putabimus, aut quo loco cōstituemus? Enim
uero nō video alio poni posse, quā s. loco, in
ter obstinatos & præfractos, qui nō ex veri-
tate viā Dei docēt, sed p̄ suo studio suarum
partium, & odio aduersariorum, quiq; nō tā
bonū ipsum & verū, quām suā victoriā respi-
ciūt. Ergo certa regula qua hoīes alij ab alijs
tā in bona quam in malā partē cognoscant̄,
est, vt fructus eorū respiciamus, ex ijsq; con-
iecturam faciamus in bonis ne an malis ar-
boribus debeant numerari. Nam omnis ar-
bor bona, bonos fructus profert, oīs aut̄ ar-
bor mala, malos fructus profert. Estq; certif-
sima ratio dinoscēdorū fructuū inter ipsos,
q̄ boni in cōmune cōferūtur, & ad pacē spe-
stant amoremq; & concordiam. Mali aut̄ ad
singulorum vtilitates, & non tam ad pacem
quām ad victoriam. Atq; hanc quidem for-
mulam si quis sequatur, haud difficile ex dī-
ctis factisq; hominū teneri poterit, ecquid
digni sint qui huic muneri quo de agitur
præfiantur. Nam si bonos videoas esse fru-
ctū, dignos esse dicas, si verò malos, indignos
cuius

DE VERA ECCLESIAE

cuiuscunque tandem loci sint atque ordinis, aut quarumcunque, ut inquit Georgius à Selua Episcopus Vaurensis, videantur esse partium. Quid ergo, an ordines Ecclesiæ confundi, & tam prophanos quam Ecclesiasticos, tanque aduersarios quam alios sententiam dicere nouo exemplo patiemur? Evidem de dicenda sententia nihil disputat Georgius, nec ego sanè definitio, sed illud quero, si Ecclesiasticus ordo, qui huius rei administrationem in possessione sua haecenus retinuit, magna ex parte corruptus est, & inueniantur prophani idonei ad rem bene gerendam, quid an Rempublicam potius pessundari patiemur, quam ut eorum consilia si quæ habent fortasse saniora, admittamus, imitantes procos Penelopes, qui quæ admodum apud Homerum est, cum ipsi arcum intendere non valerent, nec alios intendere permittebant? Absit sanè, docentes enim contrarium, exempla veterum Patrum, & in his Nicolai & Ambrosij, quorum ille laicus, hic etiam catechumenus ad præsulatum assumpsit est. Ordinum quidem descriptio & verò diligenter custodienda est, sed id stante & pacata florenteque Republica Rebus autem aduersis & afflictis, intermissa solemnni illa & statuta ordinum descriptione, itur

itur ad illud vetus: Salus populi suprema
 Lex esto; nec est quod tum magis officiat pu-
 blicæ utilitati, & rei bene gerendæ, quam
 ambitiosa illa curiosaque ordintum ratio.
 Cuius rei certum extat exemplum in Caton-
 ie maiore, qui Uticensis vocatur, cum rebus
 prope desperatis Uticę ageret, & ab aduer-
 sarijs vndiquaque premeretur: vt enim
 tum fortè non longe ab eo aberat Marcus
 Octavius, cum duabus legionibus, quas cō-
 tra Cæsarianos ducebat, misit is quodam die
 ad Catonē pro sortiendis legionibus. Quod
 audiens Cato, nihil quidem Octauio respō-
 deri iussit, sed conuersus ad amicos. An ad-
 huc miramur, inquit, nos petire, qui etiam
 in ipsa morte ambitionem & dominandi li-
 bidine retinemus. Enim uero si ē queru-
 bus oracula olim edita veteres fabulati sūt,
 quo significabant, non tam auctore alicuius
 sententię, quam sententiam ipsam respicien-
 dam esse, quanto magis nos Christiani in hac
 tanta difficultate ac confusione temporum,
 res ipsas potius & sana consilia respicere dea-
 bemus, quam homines à quibus proficisciā
 tur, siue illi nobiles sint, potentes, & Eccles-
 iastici, siue humiles, inglorij & prophani,
 & siue ab hac siue ab illa parte sint exorti;

D Quan,

DE VERA ECCLESIAE

Quanquam tamen non è hoc dictum
velim, quod homines illos opiniosos &
præfractos, in hunc sacrosanctum ordi-
nem legi velim, eos enim iamdudum v-
trinque ipse exclusi, nec vlo modo cen-
seo admittendos; sed hoc tantum volo,
tam apud vnos quam apud alteros, & ma-
los inueniri & bonos , malos quidem
quemadmodum erat Iudas in ipsius Chri-
sto comitatu, bonos vero cuiusmodi erat
Saulus, etiam cum C H R I S T I Eccle-
siam persequeretur. Quos quidem bo-
nos, à quacunque tandem parte profecti
sint, aio solos idoneos esse, qui Religio-
ni & Ecclesiæ componendæ adhibeantur.
Idque tum quidem per se, quippe quod
illi soli nullam gerentes personam partis,
sed vnius iudicis, recta consilia dare & pos-
sint & velint, tum vero quod populus
solis illis fidem habeat, dignosque specta-
tu iudicet, nec alijs salutem suam credat,
quam quos nulla neque præiudicia, neque
anticipatas opiniones, domo secum adfer-
re nouit, sed hoc solùm agere, vt tam ma-
lis moribus quam opinionibus sublatis,
in commune deliberetur , & vera solidar-
que pax & concordia in Ecclesia statuatur.
Vnus hic restat scrupulus, minimè sanè
contem-

contemnendus, vbinam viri hi potissimum reperiri, & reperti, quo pacto in vnum cogi, & in tanta copia malorum, qui adhuc vtrinque rerum potiuntur, his rebus præfici possint? Qui quidē scrupulus eo etiam plus habet difficultatis, quod hi ipsi viri boni, quoniam tam malis moribus vnius partis, quam prauis opinionibus alterius iuxta sunt offensi, non possunt non vtriusque graui odio laborare, obnitentibus vtrisque, ne ad eos summa rerum deferratur.

Sed antequām in huiusmodi dissolutiō³ nem ingrediamur, imitemur si videtur paululum eos, qui magnas spes animo concipientes, de rebus nondum perfectis ac ne inchoatis quidem, tanquām iam absolutis & ad perfectum deductis, secum commentantur, ijsque contemplandis magna se ipsi afficiunt voluptate: fingamusque iam viros istos conuenisse, & Ecclesiæ reiquest publicæ constituendæ, potestatem obtainere. Quidnam ergo illi molituri, & quodnam his rebus principium daturi videntur? hoc enim inuenito & cognito, vltro fortasse via se aperiet, qua in vnum coēant, & quod volumus efficiatur. Ergo, inquam, quidnam molientur?

DE VERA ECCLESIAE

An primum inter se certabunt, quoniam
quisq; loco priore posteriore uero in cōcessu
esse debeat, quemadmodum vulgo fieri so-
let? Nihil minus: sed si qua eiusmodi erit cō-
certatio, non minūs illi de posteriore loco
inter se certabunt, quām alij contendunt,
de priore. Quid ergo facient? Primū
omnium proni in terram se prosternent,
Deumque optimum Maximum ex imo cor-
de precabuntur, ut quod rectum, pius &
sanctum sit, in mentem mittere velit, remq;
cœptam ita dirigere, ut ad bonum & felicē
faustumque exitum peruenire possit. Quo-
rum precibus me quoque adiungens, omni-
um immitissimus, & ipse Deum precor,
per Christum Iesum Dominum nostrum, ut
his cœptis meis spiritu suo sancto aspirare
velit, eaque scribenda dictare, quæ & diui-
næ ipsius voluntati congruētia, & viris istis
quos in medium produco digna, & Ecclesiæ
iuandæ accommodata sint. Post Deum ap-
pellatum, prima eorum consultatio erit, ut
quamnam potissimum ob causam conuen-
rint, inter ipsos constet, scilicet ut quo-
nam in deliberando respicere, & consiliorū
suorum rationem omnem reuocare debeat,
intelligant. In ea re ergo sic statuent, nulla
alia de causa se conuenisse, quām ut præsen-
ti

ti tempestati subueniant religioniique & Ec-
clesiae laboranti, succurrant, eamque malis
quibus affligitur repurgatam, pristinæ sani-
tati integritatiique restituant. Quo quidem
vti perueniant, non confessim illotis mani-
bus rem ipsam aggredientur, sed repetitis al-
tius principijs, præparationem quandā qua-
si procœmij loco adhibebunt, quædamque
de religione & Ecclesia inter se communica-
bunt, ex quibus ad ea quæ proposita sunt,
paulatim delabetur oratio. Huius communi-
cationis caput erit, veram puramq; religio-
nem, non alio contineri, quām certa firmaq;
fide in Christum Iesum & mandatis eius cu-
stodiendis, quorum capita sunt, amare De-
um ex toto corde, tota anima & omnibus vi-
ribus nostris, & proximum nostrum sicut
nos ipfos: res quidē, si verba spectes leuis, &
pertenuis, sed si ad rem conferatur, omni pō-
dere grauior, & quæ vna per oēs viṭæ actio-
nes diuinas & humanas pertinet, earumque
confirmationem in se continet. Quod qui-
dem & Christus ipse tradens, ait regnum cæ-
lorum simile esse grano sinapi, quod cum
ex omnibus seminibus sit minimum, in ma-
gnam plantam excrescit, adeò ut volucres
cæli sub ramis eius cubilia sibi nidosque co-
struant. Addens simile quoque esse regnum

D 3 cælo-

DE VERA ECCLESIAE

ælorum, tribus granis fermenti, quæ im-
mixta farinæ, fermentant totam massam.
Iam Ecclesiam describent congregationem
& communitatem eorum qui veram Chri-
sti Religionem suscepereunt, quæ commu-
nitas tum quidem prædicatione verbi
DE I continetur & sacrosanctis Christi my-
sterijs, tum verò pijs actionibus quibus
ad virtutem homines exercentur. Quibus
ritè obeundis, quoniam ordine opus est, si-
ne quo nihil rectè geritur, hac re compara-
tum esse iudicabunt, quod tam ad Religio-
nis quam Ecclesiæ ministerium & ornamen-
tum, certa descriptio facta est, tum quidem
ministrorum qui sacris procurandis præ-
sint, tum verò rituum & ceremoniarum,
quarum ubique necessarius est usus. Quæ
quidcm omnia, siue illa ad Religionem per-
tinent, siue ad Ecclesiam, siue ad ministeriu-
m vtriusque, non alia re quam sacrarum litera-
rum regula metienda ducent, quibus luculē-
ter describuntur. In quarum intelligentia
si quid fortasse occurrat obscurius, vt sæpe
fit, in hac nostra imbecillitate, rebusque tam
abstrusis & reconditis, proximum esse cen-
sibunt, vt eorum interpretationem sequa-
mur qui proximi à C H R I S T O &
Apostolis intima eorum sensa hauserunt,

&

& pro vera Religione sanguinem suum vitamque profuderunt. Cui & illud addent, vt in nonnullis & perpetuum usum moremque Ecclesiæ sequi iubeant, cuiusmodi ferè sunt, quæ in ritu & cæremonia consistunt, quæ tenuiora visa sunt, quam ut literis mandarentur, & natura sua, per manus tradi potius quam scripto comprehendendi volunt. Quinimo sæpe fieri ut non solùm temporum & locorum permutatione, sed & pro hominum differentia ac dissimilitudine hæc commutentur, fiantque contraria. Nam prout homines alij alij perfectiores sunt, aut imperfectiores (non enim omne semen èquè multum profert) ita alij atque alij ritibus & cæremonijs indigent. His ita breuiter constitutis, quæ licet per pauca, formam tamen vniuersæ Ecclesiæ & tanquam faciem describunt: sequens consultatio erit, quoniam nihil in hac vita perfectum & ex omni parte beatum est, quemam potissimum vitia sacrosanctæ Christi Religioni, quatenus aspectu sentiri potest, accidat, & in Ecclesiam incurvant. Nā quod nonnulli existimāt Ecclesiā ita institui posse (eā quoq; dico quæ in sensum oculorum cadit) ut nihil habeat omnino labis, nihil vitij, omnibusque numeris

D 4 ex-

DE VERA ECCLESIAE

expleta cumulataque sit, facilè inter seces
consentient, eos homines cùm sua senten-
tia, quæ iamdudum explosa est facessen-
dos esse, minimeque audiendos, docent
enim contrarium tam zizaniorum parabo-
la, & lagenę missę in mare, quam feminis,
quod aliud secus viam cecidit, aliud su-
per petram, aliud in spinas & aliud deni-
que in terram bonam. Sed & scriptum
est, necesse esse ut veniant scandalū, ut con-
stet, qui boni sint, qui mali, quique au-
rum & argentum fidēi suæ fundamento
superedificauerint, qui stipulas & paleas.
Nam quid dicam peccata populi s̄æpe me-
peri, ut mali principes & sacerdotes exori-
antur, pro quibus rursum corrigendis,
existunt hæreses, per quas iniquum peti-
tur, ut id quod æquum est feratur.
Ergo dispiciunt inquam, quænam potis-
simum vitia Ecclesiæ accidunt, & quæ il-
lis remedia soleant adhiberi. Ac cùm ho-
minū in Ecclesia alij clerici sunt, alij laici, &
rursum docti alij, alij indocti, Ex quib, tria
existunt genera, clericorum, doctorum, &
eorum qui vocantur Idiotæ: totidem quo-
que statuent esse genera malorum (loquor
enim de publicis) quæ in Ecclesiam ferè

in

inuadere, & rem Christianam conturba-
re solēt. Nam de clericis quidem, si quando
fiat, vt animum illi suum ab rebus diuinis
ad opes luxum & potentiam abijciant, ne-
mo est qui non videat, quantas dent tur-
bas in Ecclesia, non solum malo exem-
pto quo populus mirificè offenditur, ab
ijsque totus alienatur, sed & negligentia
qua deseritur & lupis deuorandus relin-
quitur, & denique rē ipsa, cūm purum
D E I verbum, eiusque sacrosancta my-
steria, reliquaque pia instituta, sordibus
ambitionis & pecuniae coquinantur, eo-
que sacra ipsa conuertuntur. Quod qui-
dem cūm sit, haud sanè aliud l'expectan-
dum est, quām vt torum corpus Ecclesiæ,
propter sal ipsum insipidum factum, pu-
trefcat. Quod in doctis & rarum re-
rum studiosis existit vitium, est nimia cu-
riositas, qua in res obscuras & difficiles eas-
demque minus necessarias, non ipsi mo-
do magnum studium multamque operam
conferunt: sed et vniuersum populum
multitudinemque accendunt, & quām vel
in primis vnam esse oporteret Ecclesiam, in
diuersas sectas distrahabunt, ipsamque tandem
veram religionem subuertunt. Propriū idio-
tarum malum est, supersticio, quæ quidem

D 5 inde

DE VERA ECCLESIAE

inde ferè concipitur, quòd vulgus natu-
ra sua rebus exterioribus magis quàm in-
terioribus est deditum, Idque eo etiam
proclivius, quòd externi ritus & cæremo-
niæ, similitudinem quandam gerunt spe-
ciemque veræ religionis, qua commoti ho-
mines rudes & simplices, propter indolem
quæ in ijs est pietatis, facilè se decipi, & à ve-
ro Dei cultu, quæ oculis humanis cerni ne-
quit, detorqueri patiuntur. Quod quidem
& in quæstionibus agitandis vsu venit, quæ
quòd per eas intimi quique sensus sacra-
rum literarum & earum obscurę intelligen-
tię, enudari videntur, speciem quandam ad-
ferunt vtilitatis. Quemadmodum & si omnia
nium rerum afflentibus copijs Ecclesia
ditetur, hac r^e quoque vna vel maximè fir-
mari eam ac constabiliri vulgus iudicat.
O^r omnia quidē dæmon tanquam regna
quædam amplissima ostentans & ob oculos
ponens, facilè homines circūuenit, & à reb.
ipsis, ad imagines earum & umbras auertit.
Quod animaduertentes prisci patres, certa
quædā remedia his malis opposuere, quorū
cū vnū generale sit, quod per omnia manat,
cōtinens verbi dei puraq; p̄dicatio morūq;
sedula informatio, & administratio legitima
sacramētorum: tria sunt illi subiecta, quæ ad
fin:

singula curanda pertinent. Nā ad malos mo-
res Clericorū aliorumq; corrigendos, com-
parata est disciplina Ecclesiastica, quæ colla-
psa, cōtinuō renouari, & in pristinū statum
reponi debet. Ad superstitiones verò, anti-
qua forma descriptioque Ecclesiæ, quam
sæpe instaurare, & amputatis ijs quæ pōst
adnata sunt, ad fontes suos reuocare oportet.
Et ad hæreses denique refrēnandas,
certa ratio sacræ scripturæ tractandæ &
quæstionum quæ inde oriuntur, quibus
modum poni sancti Patres voluerunt, nec
ulla ratione permitti ut ab omnibus om-
nia sine discrimine tractentur, & in dubium
disquisitionemque vocentur. His itaque ge-
neraliter perpurgatis, iam ad hęc nostra té-
pora descendant, ut cognitis aliis presenti-
bus, & eorum causis progressibusque & an-
tecessionibus, vera medicina tandem adhi-
beatur. Ergo quęnam hęc statuent esse ma-
la? Enim uero haud alia, atque ipsi mo-
dō commemorauimus, quę quidem tametsi
nihil attinet hic repeteret, quomodo tamen
inter se cōnexa sint, & alia ex alijs oriuntur,
ab imo usq; ad summum, opere p̄rediū est ut
intelligatur. Itaq; qui inter hos viros erunt
minus perfecti, secundi fortè aut tertij ordi-
nis, qui calamitates horum temporū magis

CO²

DE VERA ECCLESIAE

cognitas ac perspectas habent, alijs perfe-
ctioribus, quibus ab rebus diuinis non tan-
tum fuit otij, humana vt curarent, narrabut
quantis malis & calamitatibus Respublica
Christiania affligatur, omniq; scelere lacere-
tur. Fana expilarj, monasteria diripi, facras
virgines vitiari, diuina dñique & huma-
na omnia misceri, idqae non priuatim
modò, sed palam & publicè, armisque
& castris tentari, nec ullum propè in orbe
Christiano locum esse ubi non igne & fer-
ro, mutuisque cædibus cuncta impleantur,
omnisque ratio fidei & religionis ordoque
Ecclesiæ confundatur. Horum illi causam
cum obortis lachrymis quærent: respon-
debunt alij esse homines, qui prætentu sa-
cræ scripturæ, neque interpretationes pa-
trum, neque canones conciliorum, neq; de-
cra pontificum, neque morem maiorum
ullum recipiendum esse doceant, sed omnia
hæc vt vana & futile, pro nihilo putanda &
è medio tollenda. Quorum quidem doctri-
na quoniam apud plurimos increbuit, his
rebus fieri vt ad ea tanquam impia euerten-
da, funditusque delenda, summo studio fe-
rantur, nec quiquam eorum quæ constitu-
ta sunt in Ecclesia relinquant incōuulsum.
Qui equidem vti in hoc omnes tanquam in

eo-

CONSTITVEND. RATIONE.

31

eodem ludo edocti facile conueniunt; Ita postquam ad nouam Ecclesiam doctrinamq;
suam constituendam peruentum est, admis-
rabiles inter se ipsi rursum excitant dissen-
siones. Quia enim sacram scripturam non
eodem modo omnes accipiunt, sed pro suo
quisque sensu alij aliter, necessario accidit,
vt dum neque inuicem cedere, neque ad pa-
tres tanquam ad arbitros ire volūt, tot inter
eos existāt opinōes, quot sunt ferē homi-
nes, qui & ipsi non semper perstant in sen-
tentia, sed secum dissidentes (quod hære-
ticorum proprium est inquit Basilius) sem-
per aliud ex alio quærunt, nec vñquam er-
torem errori annexere desinūt. Quos qui-
dem errores non modò circa vitam ac mo-
res ritusq; Ecclesiasticos inducunt, sed &
circa Deum ipsum, eiusq; Filium Christum
Iesum Dominum nostrum, suntq; tam va-
rij ac multiplices vt enumerari omnes non
possint, & tam turpes & horrendi vt ad eo-
rum vel solam mentionem, pius animus re-
formidet, his auditis magis magisque perfe-
ctiores illi ingemiscēt, quērentq;, quidnām
in eam mentem homines impulerit vt Ec-
clesiæ sacrosanctam auctoritatem contem-
nere, & tantarum rerum, sacrarum dico lite-
rarum, intelligentiam interpretationemq;
sibi

DE VERA ECCLESIAE

sibi assumere audeant. Qui ut respondeant,
subsistent alij paululū, nec satis in promptu
causam esse dicent, nisi quòd ea infelicitas
est nostrorū temporū, quodq; propter pec-
cata nostra, iure plecti videamur. Vbi verò
non nihil cogitarint, addent, si nō tam causa
spectāda est quām occasio, quam à causa do-
cti separant, eam satis claram ac manifestam
esse, nec ab alijs magis proficiisci, quām ab ijs
ipfis, quib. Ecclesiæ regendę gubernandęq;
cura cōmissa est. At quid ita? Quia populus,
inquiet, rūdis & imperitus, à pastorib. suis
hactenus non solùm neglectus, sed & luxu,
auaritia, ambitione, alijsq; perditissimi eo-
rum moribus offensus, facilè in odium con-
temptumq; eorum adduci se patitur. Et qui-
dem eò magis, quòd quædam ab ijs, ita vi-
dentur proximis superioribus temporibus
instituta, vt prætētu sacrorum & religionis,
populum in superstitionem inducant, ipsi
autem in rem suam, res Ecclesiasticas cōuer-
tant. Quo quidem factum est, vt nō persone
modò Ecclesiasticorum, sed & res ipsæ Ec-
clesiasticæ in inuidiam deducuntur sint, quasi
non ad religionum sanctitatem, sed ad sa-
cerdotum auaritiam & ambitionem, exco-
gitatæ. Quæ persuasio semel concepta, ma-
nat latius, nec satis habent homines impe-
ritū

riti & simplices, res & homines præsentes contemnere, sed ex ijs etiam de superioribus faciunt iudicium, ex quibus cùm non nulos quoque non optimos fuisse intel ligunt, & quædam etiam non optima iam à superioribus temporibus in Ecclesia in ueterasse: (quod & rerum scriptores satis produnt, & veteres patres sepè conqueruntur) nusquam tutam fidem esse statuunt, nec alio, quàm ad vnam sacram scripturam, tutum esse receptum, vnde Ilias illa malorum, de quibus modò diximus. Super quo cùm interrogabitur vnde nam negligenteria hæc Ecclesiasticorum, & corrupti mores oriantur? Ecquid disciplinæ Ecclesiasticæ sua constat auctoritas? quæ mo ras clericorum castigando, moresque cor rigendo, officium eos suum facere cogat? respondebitur non aliunde dissolutos istos mores Ecclesiasticorum profici, quàm ex disciplina Ecclesiastica dissoluta. Quo quidem fit, ut demersis canonibus, tum quidem coërtio omnibus intereat, aut certè in pecuniam conuertatur, tum verò illi ipsi canonnes, qui adhuc supersunt, tā per dispensatio nes, quàm exemptiones (sic enim vocantur) euaneant, & in nihilū redigantur ex quo & im,

DE VERA ECCLESIAE

impunitas peccandi consequitur, & vt bo-
na Ecclesiastica turpissem direpta, turpius
profundantur, & quod omnium indignissi-
mum est sacrosancta Hierarchia Ecclesiasti-
ca, quæ tanquam cathena illa aurea Homeris
à summo usque ad imum dependet, summa
rerum confusione dissoluatur: hæc vbi viri
illi audierint, multò grauiorem quam antè
dolorem animo concipient. Verum ne quid
tamen omittant, quod ad primam mali cau-
sam, fontemque explorandum pertinere vi-
deatur, rursum interrogabunt, quidnam sit
vnde hæc dissolutio disciplinæ nascatur, or-
tusque sui principatum ducat? Quibus alij
responsuri, primùm pudore impediti non
nihil hærebunt, nec satis audebunt prolo-
qui quod sentiunt, sed excitati confirmati-
que exhortatione aliorum, admoniti que in
remedijs quærendis totum vulnus aperi-
dum, nec quicquam celandum esse, sic tandem
verecundè & cum honoris præfatione or-
dientur. Præter iniquitatem temporum, cui
sanè non parùm imputandum est (sunt enim
omnium rerum sui ortus & occasus) illud of-
ficia plurimum conturbare, quod per quos
disciplina Ecclesiastica exerceri oporteret,
ipsi officium deserunt, & disciplina opus
habent. Quinimo rem Christianam eo nunc
rerum

CONSTITVEND. RATIONE.

33

serum deuenisse, vt qui summos in Ecclesia honores gerunt, homines cupidisplendoris & gloriæ, & qui questu nunquam satiantur, vix alio respiciant, quām ut cupiditatē suæ, quam habent inexplicablem, potentiam addant immensam & infinitam, qui sunt duo fontes omnium malorum. Quibus pri- mūm quidem fit, vt his rebus elati, supra le- ges & canones, ipsamque adeo Ecclesiam se ipsi constituant, regnorumque & impe- riorum arbitrium assumant. Deinde verò, vt non tam ad id quod restè possunt, quām ad id quod possunt respicientes, Leges ac canones tam emolumenti, quām poten- tiæ suæ ostendendæ causa figant, ac refi- gant, & nunc quidem dispensando, nunc eximendo, nunc denique indulgendo quæ omnia pecunia fiunt, omnem disciplinam Ecclesiasticam euertant, vnde hæc dissolu- tio vitæ ac morum, qua offensa multitudo, ad quosvis potius errores, quām ad clericorū doctrinā se confert, nec antè conquies- cit, quām totam Rempublīcā mille factio- bus agitatā, funditus euertat, qui est exitus horum malorū Quæ quidē triā numero, vt supra demonstratū est, alia ex alijs nascunt. Nam ex nimię cupiditatis & potentiæ sonis, exorti vt dico prauimores Ecclesiasti- bus,

E corum,

DE VERA ECCLESIAE

corum, ijdem mox multitudinem non modo in errorem inducunt, sed & ab iniusto imperio ad infrenatam licentiam proclamare faciunt, vnde tertio loco existit seditio, quæ omnia miscet, ac confundit. His dictis simul omnes in terram se abiijcent, & vim lachrymarum profundent, precantes Deum optimum maximum, ut rebus afflictis succurrere, & Ecclesiam suam respicere velit.

4 Quo facto erigent se, & ad rem, ipsam cuius hactenus procœdium persecuti fui-
mus, accedent. Quid ergo primùm aggredi-
entur, aut quid agent? Enim uero quoniam
ad sedandam ciuium seditionem, triplex
per rerum naturam prodita est consilij capi-
endi deliberatio, cuius vna via est, cùm eos
quos improbos quis iudicat, delet ac perdit,
ut hac ratione, boni quietè ac tranquillè de-
gere possint: altera, cùm non perdit qui-
dem, sed in seruitutem tradit, bonisque pa-
rere cogit: & tertia, cùm ita ciues suos habet
omnes tanquam fratres commendatos, ut
nullum ex ijs perdere aut in seruitutem da-
re velit, sed sublatis vtrinque malis, & of-
fensionum causis, inter se ipsos conciliat,
legesque ponit, quibus societatem suam
coniunctionemque conseruare queant.

Prima



Prima eorum deliberatio consultatioque erit, quamnam ex his tribus vijs potissimum ingredi oporteat, in qua re equidem non ita multum inter se dissidebunt. Nam præterquam quod & factu difficile, ut euentu dubium, & re ipsa barbarum & immane est, eos ciues fratresque tuos perdere, aut in seruitutem adducere, qui & viui & liberi seruari possent, quod sane perinde est, atque si quis more eorum qui ab rapido cane morbi sunt, in propria sua membra sœuiat, nec quicquam tamen proficiat, quod tot hactenus intentat mortes, tot cædes, nimis heu nimis manifestè demonstrarunt: tum illud quoque secum reputabunt, in vtrancunque partem inclinarent, neutram his moribus dignam esse, quæ alteri imperet, sed quod in Prouerbij consuetudinē iā propè abijt: Illacos intra muros, peccari, & extra, & vtrinque opus esse, vt in ordinem redeant, & in rationis quasi gyrum deducantur. Itaq; repudiatis duobus prioribus remedijis, ad tertium animum adjiciet, & repurgatis vtriusque partis vitijs, in mutuā gratiā ciues reponere, & si quid apud hos vel illos boni est, in cōmune cōferre studebūt. Nā ea demū summa sapientia boni ciuis est, cōmoda ciuiū nō

E 2 diuelles

DE VERA ECCLESIAE

diuellere, sed omnes æquitate eadem conti-
nere. Quod ergo huius rei initium dabant.
Equidem cùm tria sint mala, vt diximus, q
orbem Christianum hoc tempore infestant,
vitę & morum in clericis, opinionū in popu-
lo, & seditionis in vtrisque, quæ & ipsa alia
ex alijs nascuntur. Primum hoc inter eos co-
uenit, secundūm ea quæ superius disputa-
ta sunt, nō vni quidem aut alteri, sed omni-
bus manum esse admouendam. Sed & illud
quoque statuent, in singulis curandis, per
omnes cuiusque partes & latebras eundum
esse, nec quicquam relinquendum incuratū
nam ita omnino fieri oportere, supra quo-
que demonstratum est, his itaque constitu-
tis rebus, deliberationem inducent, vnde
nam potissimum videatur ordiendum, à se-
ditione ne componēda, an ab opinionibus,
an verò à moribus. Equidem secuti exem-
plum peritorum medicorum, qui primam
morbi causam primum aggrediuntur, in ea
qué tollenda curandaue maximè desudant
ac elaborant, & ipsi inde ordiendum cense-
būt, vnde prima mali labes est exorta. Quid
id ergo est? An seditio? Nequaquam, nam ab
opinionū varietate ac multitudine eam pre-
cipue ortā esse ostendimus. An igitur ea ipsa
varietas opinionum? nec illa quoque, nam
dis-

dictum est, si non causam, occasionem certè
multitudinis opinionum à negligentia Ec-
clesiasticorum & eorum depravatis morib.
exitisse. Ergo cùm non restat aliud quàm hi
ipsi praui mores Ecclesiasticorum, ab illis cu-
randis tanquàm à capite ordiendum ducét.
Quorum quidem èò etiam maior priorque
cura habenda est, quòd clericorum ordine
restituto, reliqui non ita difficile sanari &
in viam reduci posse videntur. Sacerdotes
tui induantur Iusticia inquit ille, & sancti
tui exultent. Sacerdotes eius induam saluta-
ri, & sancti eius exultatione exultabunt. Lu-
ceat lux vestra, inquit Christus, coram homi-
nibus, ut videant opera vestra bona, & glori-
ficient Patrem vestrum qui in cælis est. Igi-
tur ad Ecclesiasticos hosce sanandos, & eos
rum mores conformandos quid fiet? Quoni-
am vitæ turpitudinem ac negligentiam om-
nem tam publicè quàm priuatim, ex duob.
fontibus oriri diximus, nimiæ cupiditatis,
& nimiæ potentiar, nihil prius nec antiquius
viri nostri habebunt, quàm vt duo isti fon-
tes, aut penitus obstruantur, aut certè coér-
ceantur, ne effervescent. Ac ad cupiditates
quidem restringendas, quoniam in animo
illæ hærent ac consistunt, non aliud remedi-
um esse statuent, quod illis rectè adhiberi

E 3 queat,

DE VERA ECCLESIAE

queat, quām doctrinā Euangelicā, con-
iunctam cum multis monitioribus exhorta-
tionibusq; & exercitijs pietatis. Nam ad a-
nimorum motus appetitusq; regendos, qui
neq; manū teneri, neq; oculis cerni possunt,
quid aliud agas, quām vt Dēi ipsius volunta-
tem verbumq; doceas, māiorum exēpla ob-
oculos ponas, & quæcunq; animum à sede
sua dimouere, & cupiditate aliqua splendo-
ris & glorię vel voluptatis inflāmare solent,
subducas. Ad nimiam potētiā minuendā
(qua minuta, etiam cupiditatiē minui so-
lent) quoniam ea foris eminet, nihil magis
cēsebūt opportunum quām vt vetus forma
descriptioq; Ecclesiæ, vetusq; disciplina ca-
nonū, in vsum lucemq; reuocetur. Nā quē-
admodū ad ea quæ intus sunt regēda guber-
nandaq; cōparata est doctrina Euāgelica, ita
qd ea q̄ foris sūt, & in externo ritu & cēremoniā
potentiaq; consistunt, dati sunt prisci ca-
nones, & sanctorum patrū sacrosanctæ cōsti-
tutiones. Quibus quidem vt rectē vtare val-
dē considerandū esse statuerint, quantūvis di-
uinæ illæ sint, idē tamē ijs, quod reliquis om-
nibus legibus scitisq; que populorum accide-
re. Quid verò illud est? Quod pro materia
subiectæ mutabilitate, nunquā consistunt,
sed in perpetuō fluxu metuq; positæ, pmu-
tatione

tatione temporū, locorū, personarū, & aliarū id genus rerū quotidie mutantur. Cuius evidens documentū est ipsa Hierarchia Ecclesiastica, quæ primū à Christo instituta, solis 12. Apostolis, & discipulis septuaginta continebatur. Quo in cælum sublato, mox in aliam faciem mutata est. Nam ordine Apostolorum cum ipsis duodecim intercidēte, constituti sunt Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, qui Ecclesię Dei regendę præcessent. Post quos secuti sunt Archiepiscopi, Patriarchę, Lectores, Exorcistę, Acolythi. Quibus non multò post accessiōre Monachi, Abbaties, Archimandritę, Canonici, & id genus alij usque ad hęc nostra tempora, quę & ipsa nunquam cessant aliud ex alio producere. Quod quidē cùm sit, tametsi quedam subinde irrepant non omnino optima, imo etiam noxia, aut certè superflua (nam omnis generatio ex corruptione est) plurima tamen sepe incidunt, quę necessitas temporum ita expostulat, & in aliam formam speciemque mutari desiderat. Quod animaduertens Plato, inter ceteras legum condendarum causas, necessitatem connumerat, addens bonum latorem legum, haud absimilem pictori esse, qui picturā quā fortè pinxit elegā

E 4. tissi-

DE VERA ECCLESIAE

tissimam, & politissima arte perfectam, perpetuam esse cupiens, ita ut indies melior evadat: discipulum relinquit eiusdem artis peritum, qui tum quidem temporis iniuria corrupta restituat, tum verò minus recte facta emendet. Quia enim nihil sub luna est, quod non mutationi quemadmodum & ipsa subiectum est, necessario accidit, ut in omni Republica quantumuis bene legibus fundata, duplice auxilio leges illæ indigeant. Ex quibus unum est, ut si quid curiu flexuque temporum vitij contractum sit, id emendetur: alterum, ut si ratio temporum addi aliquid aut detrahi mutariue postuleret, id fiat, hac tamen cautione, quæ in utroque adhibenda est, ut dum hæc facis, non mox ad ultima tempora Republicæ primum conditæ recurras, reliquaque inde consecuta cuncta reijcias, sed ut res, etis malis, ea deligas quæ & vitio careant, & à presentibus temporibus moribusque non sunt aliena, ut quam minimum mutationis inducatur, ne si aliter facias, & nouam omnino formam Ecclesie, priscis illis nimis altè repetitis, constituas, non solum nihil agas, sed & totam Rempublicam euertas, Hæc ubi ita præmunierint iam ad canones ipsos eruendos & in lucem proferendos accedent,

cedent, quorum prima pars erit, de creandis
clericis, vitæque ac morum conformatio-
ne: Altera verò de disciplina Ecclesiastica sine
qua reliqua frustra suscipiuntur. Ac quo-
niam quidem ea ipsa disciplina nulla est,
nisi sint homines idonei per quos adminis-
tretur, de his tertio loco explicabitur. In
creandis clericis, prima cura erit, ut neque
per sordes, neque per ambitionem, neque
per gratiam in eum ordinem quis legatur,
nec alijs ad eum pateat aditus quam quos
iusta etas, & in rebus honestis atque magnis
spectate vitæ innocentia, & scientia rerum
diuinarum, aliaque id genus laudes virtu-
tum commendant. Ex quibus ipsis ta-
men prohibebunt, ne plures quam opus sit
clericis capiantur, neque ad omnes ordines Ec-
clesiasticos simul, sed gradatim primum ad
minores, deinde iusto interiecto spatio tem-
poris ad maiores admittantur. Nam quem
admodum in nauj non statim gubernator
quis efficitur, sed primum remex, dein
de proreta, & post gubernator. Item in exer-
citu non continuo dux, sed primum miles, mox
tribunus militum, & deniq; dux bellum. Ita
in Ecclesia, no ad sacerdotium mox prosili-
endum, sed per lectorum, diaconorum, & alios
id genus gradus paulatim eundum est, ne

E s si

DE VERA ECCLESIAE

Si aliter fiat, & ex prophano rerumque sa-
crarum rudi & imperito repente sacerdos
vel Episcopus quis exoriatur, idem quod
gigantibus apud Thebas accidat, qui ex-
tentibus draconis quos Cadmus seuerat, su-
bito exorti, pubetenus armati, eadem die
mutuis vulneribus confecti omnes interie-
runt. Sed & in sacerdotijs beneficijsque Ec-
clesiasticis tribuendis, nequaquam patien-
tur ut in vnum plura sacerdotia conferan-
tur, & alijs quidem abundantibus, alij con-
tra turpiter egeant: sed singulos singula
obire iubebunt, ijsque coram adesse, vt cui
quisque altari seruit, de eodem secundum
canones viuat, & si qui Legibus solutos se
dicant, eos legibus rursum parere, & in or-
dinem redire cogent. Iam de vita & mori-
bus Ecclesiasticorum, quibus in omnes par-
tes usus vita conformatur, eos ipsos ad præ-
scriptum canonum quoque exigent, nec
quenquam in eo ordine esse patientur, cu-
ius vita in manifestam reprehensionem e-
brietatis, aleæ, scortationis & similium
vitiorum incurrat. Quin legem etiam
condent sumptuariam, qua & communi-
ter viuere, & à lautiore cultu vestium, ex-
tructisque mensis & epulis abstinere iu-
beantur: & quod de dimenso superat, in-
paupe

pauperes aliosue pios vsus elargiri. Nam vt
semel dicam, hoc tanquam scopum sibi ha-
bebunt propositum, vt hic ordo non solùm
vitio careat, sed vt vitæ sanctitate morumq;
probitate, alijs specimen sit & exemplum,
Non dissimilia circa rerum sacrarum admi-
nistrationem quoque statuet, vt quam quis-
que na&tus est diuinorum curationem, eam
non dico non negligat, sed omni studio co-
llat ac ornet, & si quid fortè vel vitio clerico-
rum, vel vulgi superstitione irrepfit mali, q
cum antiquis canonibus veteri&q; vsu Eccle-
siæ, non sit consentaneum, id penitus ampu-
tabunt, & ad prisorum canonum rationem
normamq; reducent. Atqui nihil nūc que-
at dici, inquies, quod non sit dictum prius,
estque in medio Ius ipsum Pontificium,
quo hęc omnia luculentissimè describūtur.
Scio, nec est ea instituti ratio, vt quicquam
noui inducatur, sed hoc tantum volo, vt ve-
teres canones, qui nunc propemodum ob-
soluerunt, in pristinū locū reuocētur. Quod
quidē ideo hacenus factū non est, quod ho-
mines cupidi & auari, alijs studijs, q de con-
quirendis sacerdotijs sunt, occupati, hanc
partem canonum quæ de conformatione vi-
tæ ac morum est, desertam & incultam
reliquerunt, quę tamen cum domina

sit

DE VERA ECCLESIAE

fit & princeps vniuersę Reipublicę Christia-
næ, opus est, vt vel nunc tandem excolatur,
illaque altera quæ non tam bene viuendi,
quam litigandi vias tradit, quoad eius fieri
queat, conquiescere iubeatur, quod vtalij
ante nos plurimi summa auctoritate viri
optarunt, & in his post veteres Ioannes Ger-
son bonus auctor in primis, & princeps sui
temporis theologorū, in eo suo libello, quē
de causis ruentis Ecclesię inscripsit. At verò
quo pacto id fieri? Si instauratis canonibus,
vnā etiam disciplina canonum (nam hoc se-
cundum esse diximus) reducatur. Quia enim
disciplina vitam & motum præbet Reipubli-
ce, & quasi euerriculum est omnium malo-
rum: nihil hi viri prius nec antiquius habe-
bunt, quam vt ea pristino suo statui nitori-
que restituatur, In qua re illud ante omnia
curę habebūt, vt quæ aduersum eos, qui mi-
nus faciunt officium, per canones, introdu-
cte sunt admonitiones, obiurgationes syno-
di, in quibus maximum momentum est Ec-
clesiæ bene gerendę, & denique pœnę Ec-
clesiasticę tam priuatę quam publicę, quæ
iam penè occiderunt, omnes in antiquum
statum reponantur. Quas quidem pœnas ita
irrogari iubebunt, vt ne vñquam vnam in
aliam commutari, aut quod indignius est,
turpi

CONSTITVEND. RATIONE.

eturpi nundinatione pecunię redimi patian.³⁹
tur. Memores hac re propè vna, totam disciplinam Ecclesiæ primùm labefactatam, ac
deinde collapsam esse. Porrò animaduertentes disciplinę rectę exercendę, nihil magis
obesse, quām si quis imperio proprij sui magistratus, in cuius oculis quotidie versandū
est, eximatur, aut in sacris ordinibus sacerdotijsq; capiundis, legibus soluatur, omnes
hasce exemptiones dispensationesq; una
Lege rescindent, & tam proprijs suis magistratis, quām sacris canonibus, omnes cle-
ricos parēre cogent. Qui quidem eō minūs
molestè id ferre debent, quod non alia re
magis ipsi se suaq; tuentur, quām auctorita-
te canonum, à quibus si se illi subtrahunt,
eorumq; grauitatem difficiunt, quoniam
tandem ore, quod in se recusant ab alijs po-
stulabunt, Nec verò ad rem pertinet, quod
mihi dicas non nouum sed vetus esse, vt ex
causa legibus quis soluatur, non enim id me
fugit, nec iam disputo, quid auctoritas Ec-
clesiæ valeat, sed id solum, an id quod pos-
sit, etiam expediat, estq; nihil pernicioſius,
mea quidem sententia in Ecclesia, quām
quod apud maiores vix semel atq; iterum,
idq; summa necessitate exigente, vel utili-
tate proposita factum est, id nos passim &
vbi-

DE VERA ECCLESIAE

vbiq; ad exemplum trahere, & venerandam Ecclesiæ antiquitatē ad cupiditates nostras conuertere. Quinimò vti maximè recte atq; ordine ea facta concedas, ratio tamen temporum, quæ iam penitus prolapſa est expostulat, vt sublatis omnibus priuilegijs, ad cō munem Legem & sacrosanctos canones sit reuertendum. De quibus quidem canonibus, si quidē id quis dixerit, quod de actione oratoria ille dicebat, minimè meo quidē iudicio errauerit. Rogatus enim quid in oratore primum esse: actio inquit, quid secundum: actio, quid tertium: actio. Similiter ergo in constituenda religione & Ecclesia, si quis me roget, quid primū sit, respōdebo, Canones, quid secundū, Canones, quid tertium, Canones, in quibus solis restituendis, tota salus nititur Reipub. Christianę, verūm qua ratione ad efficias quando nunquam defuturi sunt homines cupidi & importuni, qui commodi sui causa, principum animos sollicitent, vt quo Iure quaue iniuria Legib. soluti, neq; pœnas legum, neq; imperia magistratum reformident, sacerdotiorum autem quantum velint possideant, nec extat ratio, qua hi principes Ecclesiæ prohiberi possint, quo minùs potestate sua Iureq; vtatur. Enim uero hoc est quod modò dicebā,

pers

perparū esse canones restitui, nisi simul disciplina Ecclesiastica restituatur, nec rursus disciplinam satis posse sustineri, nisi sint homines magni & rebus agitati, per quos sustinatur. Itaq; post superiora duo constituta, tertia cura erit, vt tum quidem cupidorum hominum improbitas retundatur, tum vero principum Ecclesiæ nimis effusa potestas refrenetur. Id vero quomodo effici queat dicendum est. Nam omnis huius institutionis hoc est caput. Ac ad eos quidem reiiciendos & perterrendos, qui non amore religionis sed auiditate opum, splendoris, & gloriae ad Ecclesiam se conferunt: praeterquam quod non parum valitrum viri nostri putabunt, quod supra dictum est, suum quenque munus obire debere, nec ullo priuilegio permitti, vt amplius quam unum sacerdotium unus possideat: tum illud quoq; addent, vt quod ex possessionibus Ecclesiasticis quotannis reficitur, id viritum diuidatur, & non quidem in manum cuiq; detur: sed duobus trientibus primùm in pauperes & sarta tecta ædium sacrarum, secundum canones erogatis, eum qui super erit trientem, per œconomos, & alios, ad quos tam operæ exiguae, quam iustorum præbendorum cura pertinebit, in usum eorum cōferri iubebūt,

qui

DE VERA ECCLESIAE

qui & rei diuinę faciendę intererūt, & com-
muni aliorum conuictu vtentur. Quod
quidem cùm fiet, arcteque tenebitur, ita vt
neq; thesauris reponendis, neq; luxui aut fa-
stui sit locus, n̄e haud ita multi erunt, nisi
verè pij, religionisq; amantes viri, qui ordi-
nem Ecclesiasticum, magno studio appeten-
dum ducent. Ad principum Ecclesiasticorū
impotentem dominatum refrēnandum, po-
nēt sibi ob oculos, in bene institutis Rebus
publicis, ita ferē esse cōparatum, vt maiori
potestati, ne qua fortē in tyrānidem labat,
alia potestas opponatur, per quā in officio
contineatur, nimiaq; eius ferocia, tanquam
vinū infusa aqua mitigetur. Hinc Romani,
Regibus Præfectos, Ceterum Dictatoribus
Magistros equitum, Consulibus Tribunos
plebis opponebant. Lacedæmonij autem
Imperatoribus suis Ephoros. Quorum om-
nium ea erat ratio vt si quid Ili more huma-
ni ingenij peccarent, aut molirentur violē-
tum, per hos tanquam fræno iniecto retine-
ri, & in ordinem cogi possent. idem ergo de
principib. Ecclesiasticis statuēdum esse viri
nostrī censebunt, memores ad Imperatoriū
munus secundūm cañones pertinere, vt Ec-
clesiam ille tueatur ac defendat, et si quid cō-
muni patrum consensu scitum ac decretū,

&

& in canones relatum est, id exequatur,
& propositis edictis publicis, ab omnibus
tam clericis quam laicis faciat obseruari. Ple-
na est exemplorum historia, pleni libri No-
uellarum constitutionum Iustiniani, ple-
na Cœcilia Oecumenica, vbi inuenias preces
principi factas à patribus, ut quod ipsi decre-
uisserint, ille suis constitutionibus sancire, &
ad parendum non laicos modò, sed & Eccle-
siasticos cogere vellet. At quos Ecclesiasticos?
an minorum ordinum tantùm simo etiā
majorū, Episcopos dico & Archiepiscopos,
ipsosque adeò patriarchas. Nam si Imperato-
ris est, totam Ecclesiam defendere, idq; con-
tra omnes, & magna pars Ecclesiæ sunt sacri
canones, quos & sanctos & inuiolatos esse
oportet, idque ab omnibus cuiuscunque
tandem loci sint atque ordinis, res ipsa, nisi
equidem fallor, demonstrat, si quidem illa
in parte violari aut carpi eos contingat, nec
quisquam sit Ecclesiasticus, qui officium fa-
ciat, vel si quod deterius est, ille ipse qui ca-
put est Ecclesiastici ordinis, tale quid in se
admittat: ad curam eius pertinere, ut ac-
currat, & Ecclesiæ laboranti non solum con-
tra hostes externos, verùm etiā domesticos,
si fortè ex pastoribus prædones facti sint,
opera ferat. Quid ergo, an principis imperio

F Ecce

DE VERA ECCLESIAE

Ecclesiastici suberunt? Nequaquam, sed cetera principis est, Ecclesiæ quæ omnes iudicant, & à nullo iudicatur: cuius Imperium secutus, siquidem oppressis canonibus subueniat, ijsq; vindicandis contra vim hostium, siue illi prophani, siue clerici sint, operam nauet, ordinem illum Ecclesiasticum ad quæ ea res pertinet vel languetem exuscitet, vel laborantem re & consilio iuuet: tantum abest ut regnum possidere, ut contra non nisi iussa canonum facere & auctoritatem Ecclesiæ asserere videatur. Dico autem nominatim de ordine Ecclesiastico, ad quos ea res pertinet, iuuando; quemadmodum cuique ordinis clericorum, suos viri nostri Ephoros adhibebunt prophanos: summo quidem, supremam Imperatoriam dignitatem, reliquis autem reges, principes, & prouinciarum rectores, prout cuiusque est gradus, qui non modò administrationis & disciplinæ curam gerent, verum etiam in partem electionis, in qua maximum est momentum, secundum veteres canones vocabuntur: Ita nullum quoque gradum aut ordinem Ecclesiasticum esse patietur, qui non alium supra se habeat à quo in officio, loquor enim de moribus, contineatur. Et ideo quemadmodum minoribus ordinibus presbyteri, presbyteris Episcopi,

CONSTITVEND. RATIONE. 41

copi, Episcopis Archiepiscopi, Archiepisco-
pis Patriarchæ, Patriarchis Pontifex maxi-
mus præest, ita pontifici maximo Ecclesiam
ipsam præfle iubebunt, quæ & iubeat quæ
facienda sunt, & prohibeat contraria, nec ob-
edientem autem moneat ac castigeret, quin
utrisq; & patribus Ecclesiæ, & Imperatoriæ
Majestati, regibusque & principibus, hoc cu-
ræ erit, ut suis cancellis, quos illi Ecclesia cir-
cumdedit inclusus sacrosanctos canones, tā
pro se ipso seruet, quām ab alijs, adhibita
disciplina Ecclesiastica, seruandos curet, eos
quæ neq; temerè dispensando, neq; eximen-
do, neque indulgendo, laxet aut dissoluat.
Atqui est Ecclesiæ, inquietus, conseruanda sua
dignitas, nec tam hominum qui in ea ver-
santur, quām ordinum ratio habenda, ne vi-
lescant. Probè, sed hanc dignitatem quibus
rebus putas contineri? cedo? an auro, ar-
gento, gemmis, fastu, potentia infrēnata?
Nequaquam. Imo vero pietate, fide, constan-
tia, & alijs id genus virtutibus, quæ sunt ex
medio genere laudum, & vera clericorum or-
namenta, Quod docens Christus ipse, cū Pe-
trum ouib. suis pascendum præponet, nō
de auro quidē & argento quærerbat, ecquid
eo præ cæteris abundaret, sed de charita-
te & erga se amore; quod non contentus

F 2 semel

DE VERA ECCLESIAE

semel rogasse, ter iterabat, ut tanto manife-
stius dignitatem sacerdotalem ea re una po-
tissimum contineri demonstraret. Cum qua-
si diuinitate opumque; potentia coniungantur,
siquidem moderatae sint, nihil habent admo-
dum mali, si verò immoderatae, non solùm
decus nullum adferunt, sed & summam tur-
pitudinem. Nam quemadmodum si oculum,
quæ pulcherrima pars est humani corporis,
nimium studeas ornare, illaque; gemmas & au-
rum adhibeas, tandem efficis, ut his impedi-
tus, usum officiumque; suum amittas: Similimè in
ordine Ecclesiastico, si plus quam satis est,
opum & honorum potentiamque; in eum confe-
ras, fit ut ijs tanquam spinis suffocatus, vel
cœno potius circumlitus, verā suam speciem
formamque; perdat. Quibus detrahendis, tan-
tum abest, dignitatem eius ac decus te mi-
nuere, ut contra squalore detracto, nitori
splendorique suo restituere videare. Quem
quidem splendorem, si vti cogitatione per-
cipimus, oculis cernere liceret, mirabiles sui
amores in animis nostris excitaret: verum
de clericis & eorum vita corrigenda, poten-
tiaque; ad mediocritatem reuocanda, hæc di-
cta sufficient.

V. Dehinc sequitur, ut de ijs qui prauis opinio-
nibus imbuti sunt, quo pacto sanari debeat,
sit

sit dicendū. In qua re tametsi multū iam effe
ctū viris nostris videbitur, sublatis vitijs cle-
ricorum, quibus populū offendit ad nouos
hosce magistros plerūq; cōferre se diximus:
tamē quædā propria censem̄t esse remedia,
quæ huic malo debeāt adhiberi, & tā multi-
tudini quām magistris accōmodari. Quæ er-
go erunt illa remedia? Suprà demonstratum
est, primas duas partes hæresis esse, ignoran-
tiā veritatis, & errorem quem duplē vo-
cauimus, qui est cùm id quod nescit, scire se
quis existimat. His duobus, & vix alijs, nisi
fortè vehementem illum impetū animi ad-
das, qui à furore non longè abest, multitudi-
nem vt plurimū laborare, (nam de magi-
stris pōst videbimus) planè iudicabūt. Itaq;
hinc primum remedium ducendum esse sta-
tuunt, nec aliud magis diligentiusq; procu-
randum, quām vt proposita vera puraq; do-
ctrina, quæ nullis labibus errorū aut super-
stitionū infecta sit, erudiatur, & à falsis istis
magistris, & eorū doctrina, quoad eius fieri
queat, retrahatur. Quæ igitur erit illa vera
puraq; doctrina? Ea ipsa nimirum, quam su-
prā breuiter attigimus, quæ quatuor con-
stans gradibus, qui singuli ternos alios in se
continent, duodecim quasi capitibus, uni-
uersam religionē cōpletebitur. Horū primus

F 3 gradus

DE VERA ECCLESIAE

gradus est ut deum super omnia amantes, in eoque totos nos collocantes, in proximum non minus quam nos simus animati, idque per fidem in Christum Iesum, per quem solum ascensus est in cœlum, ingressusque in amorem illū diuinum, per quem euecti inter superos collocamur. Alter ut ad fidem illam & amorem adipiscendum, tum quidem prædicationem verbi Dei inter nos habeamus, tum verò participes fiamus mysteriorum Christi, cum ijsq; coniungamus exercitia pietatis erga Deū & homines, ut imitatores simus Christi, quemadmodum ille est Patris. Tertius, ut ad hæc publicè procuranda, & ministri sint in Ecclesia per quos admittantur, & certa quædam instituta Ecclesiastica, ritusque & ceremonię, sine quibus non rectè peraguntur: Ultimus ut horum omnium ratio descriptioque ē fontibus peccatur sacrarum literarum, & earum vera intelligentia vsuque veteris Ecclesiæ, qui iam inde ab Apostolorum temporibus, ad hæc usque tempora manauit, hæc igitur populū quam diligentissimè doceri iubebunt, & tu quidem scriptis libellis, tum verò viua voce passim & ubique inculcari. In qua quidem re, cùm multa præcipient, tum illud in primis ut horū graduum, qui non tam numero quam

quām pondere iudicantur, nō solūm distin-
ctio diligēs, verum etiā proportio compara-
tioq; serueretur, & prout cuiusq; dignitas est,
alijs alijs tam in vita quām doctrina antea-
ponantur. Itaque principem omnium, &
qui semper populo inculcandus sit, statuerit
esse primum gradum, in quo verę virtutis,
& pietatis erga Deum & homines, per Chri-
stum Iesum, splendor est maximus, quo qui
illuminatus est, nā haud multis disputatio-
num & questionum obscuritatibus se inuol-
uet, sed animo tranquillo ac quieto, quam
tantopere nobis Christus laudauit, pacem
viuens & moriens omni studio colet. Secū-
das partes ijs tribuent, qui posterioris sunt
ordinis, sine quibus haud ferè peruenitur
ad priora, Inter quę tamē hoc interest, quòd
hæc priora interiora sunt & per se expeten-
da, nec vñquam à nobis discessura, sed vñā e-
uolatura in cœlum: Illa verò posteriora di-
uinissima quidem, sed tamen quoq; modo,
si ita fas est dicere, externa, & ad exteriorem
Ecclesiam constituendam comparata, quæ
non tam per se spectantur, quām gratia eo-
rum quæ primi sunt ordinis, quo tanquam
ad finem referuntur, De tertio gradu sic tra-
di iubebunt ut intelligant homines, quę ra-
tio proportioq; est secūdi ad primū, eandem

F 4 esse

DE VERA ECCLESIAE

esse tertij ad secundum, nec alia de causa
ministros Ecclesiæ, ritusque & cæremonias
esse constitutas, quam ut prædicatio
verbi Dei, & sacrosancta mysteria exercitia
que pietatis, certo ordine peragantur. Qui
quidem ordo quanquam diligenter colen-
dus est, ut potè sine quo in rebus humanis
nihil recte geritur, adeò ut capitales meritò
censeri debeant, qui eum nulla necessitate
proposita confundere audeant, tamen hoc
valde canendum est, ne propter exteros &
aduentios ritus & cæremonias, que in casu
sitè temporibus gubernari & mutari solent,
ea quæ interiora sunt, vel negligantur, vel
obscurentur, quare nulla pernicies maior
hominum vitæ adferri potest. Itaq; præcipie-
nt, ut in omni vita ac doctrina, uno po-
tissimum amore per fidem, tota ratio reli-
gionis dirigatur, isque tanquam sol præluc-
ceat, reliqua autem tanquam lunæ & stella-
rum minora lumina, subsequantur. Eandem
quoq; proportionem contentionemq; esse
statuent, eorum inter se quæ quarti sunt or-
dinis, ex quib. primas sacris literis deferent,
quarum ratio latissimè patet, & in quibus
solis tantum inest pondus, ut reliqua ex ad-
uerso posita, vix momenti instar sint. Secun-
das tribuerent recte carum intelligentiaz, que
non

non aliunde magis petenda est, quām ex per
petua interpretatione Ecclesiæ, & sanctis
patribus, qui pares Apostolis, aut certè sup-
pares, sanguinē suum pro Christo profude-
dēre. Tertiæ vſus erunt & consuetudinis,
cuius au&toritas quæ sanè grauissima apud
omnes esse debet, in his potissimum spectā-
da est, quæ in c̄eremonijs posita, eiusmodi
ferē sunt, vt re ipsa demonstrari & per ma-
nus tradī potiūs quām literis propagari ve-
lint. Iam verò præter hæc & illud populūm
doceri, ſepiuſque multitudini inculcari iu-
bebunt, quod Christus discipulis suis tam ſe-
dulō commendauit. Quid verò id eſt? vt in
his quæ dicta ſunt, & ſimplices ſimus, & pru-
dentes, ſimplices quidem vt columbæ, pru-
dentes verò vt ſerpentes. At quo pacto ſim-
plices vt columbæ? vt ab rerum humanarum
varietate ac multitudine remoti, in vnius
Dei amore, quēm per columbam ſacræ lite-
ræ ſignificant, curas cogitationesq; noſtras
collocemus, nec aliud quām quod verum,
ſimplex ſyncerumq; ſit quāramus, memo-
res illius Christi. Martha, Martha, ſolicitaris
& versaris cir̄a plurima, Maria autem opti-
mam partem elegit, quæ non auferetur ab
ea. Cum quo congruit illud quoq; Salomo-
nis. Sentite de domino in bonitate, & in ſim-

F. 5 plici-

DE VERA ECCLESIAE

plicitate cordis querite illum, quoniam inuenietur ab his, qui non tentant eum, apparer autem ijs, qui fidem habent in illum. Quomodo verò prudentes ut serpentes? ut in omni vita & conuictu hominum, rebusque cognoscendis, cum serpente illo propheticō, obturemus aures nostras, ad vocem incantatiū, & benefici incantatiis sapiēter. Quis autem ille veneficus qui incantat sapienter falsus Propheta, qui veniēs in vestib. ouium, intrus est lupus rapax, quique à recta via cognitionis & amoris Dei deflectens, vel ad dexteram, vel ad sinistram nos deducit. Ceterum quo pacto id fiat, operæ videtur premium ut intelligatur, & cum superius breuiter à me tactum sit, nunc paulò latius explicabo. Vera Dei agnitione est, cùm mentis oculus ad Deum conuersus, tum quidem lumine intelligentiæ illustratur, tum verò amoris calore acceditur. Hanc tam præclaram & magnificam agnitionem, inuidēs nobis Diabolus (vnde nomen accepit) omnem dat operam, ut à vultu Dei, vultum nostrum auertat, & à contemplatione superiorum, ad inferiora detorqueat. Itaque sciens naturaliter homini esse inscitum, ut & religione erga Deum commoueatur, & ad cognitiones & scientiæ cupiditatē trahatur,

COL:

coniungens cum vtroque imbecillitatem
naturæ humanæ, qua à virtute, ad vitiū om-
nes proclives sumus, facile efficit, vt specie
quadem ac similitudine religionis & scien-
tiæ, nos decipiat, & à vero Dei lumine, ad
vmbras & imagines rerum auertat. Verùm
ad quas vmbras & imagines? Inanum que-
stionum & falsarum superstitionum. Nam
quemadmodum in homine, qui quasi tri-
bus à natura indutus est personis, tum qui-
dem mēs inest, tūm verò corpus, tum etiam
vmbra: haud secus in religione, quædam
sunt interiora, quæ proximè naturam attin-
gunt diuinam, quædam media, quæ partim
diuina sunt partim humana, quædam deni-
que externa in varietate questionum, ri-
tuumque ac ceremoniarum constituta, spe-
ciem quandam gerunt similitudinemque
superiorum. In his persequendis si quidem
vti natura copulata sunt, ita pro cuiusq; di-
gnitate, omnia conjungas, rectum est quod
facis, fert enim sic natura, vt quandiu in hac
vita degimus, separari neq; possint, neq; de-
beant. Si verò contrà vnum ab alio diuel-
las, & relictis interioribus, & medijs, ad
sola externa te conuertas: Iam falsis ima-
ginibus te ludi, & quemadmodum in fabu-
lis est, nebulam pro Iunone colere, aio.

Quod

DE VERA ECCLESIAE

Quod quidem ut efficiat doli ille fabricator
Diabolus, non aperte quidem nos aggredi-
tur, sed conscius, ut dixi, fragilitatis nostræ,
& sciens tamē, tam ad Dei cultum, quam ad
rerum cognitionem, à natura nos forma-
tos & imbutos esse, & utriusq; obscuras quas
dam scintillas in nobis lucere, his rebus ad
commodum suum arte quadam abutitur, &
tum quidem specie religionis, tū verò scien-
tiæ, maiores partes animi à recta religione
detorquens, ad falsas istas umbras & imagi-
nes paulatim & latenter seducit. Quo autem
pacto? Si quos nouit homines rudes & impe-
ritos, religioni tamen deditos, ut fit, his per
falsos prophetas suos, hypocritas, externo-
rum rituum & cérémoniarum pulchras ima-
gines ob oculos ponit, quarum specie cùm
se impensis delectant, fit ut vera religio
(nam omnia mala exempla, ex bonis initijs
ferè oriuntur) paulatim aboleatur, & céré-
móniarū bellæ imagines, à rebus ipsis diuul-
sæ, in turpes superstitiones conuertantur.
Sunt enim cérémoniæ ex eorum bonorum
numero, quibus si modicè quis vtatur, pro-
funt, si verò immodicè, nocet. Bonum enim,
inquit ille, fit nō bonum, cùm fit non bene,
& cùm in omni vita, tū in his rebus, vel ma-
xime vitandum est, ut nequid nimis. Si
quos

quos contrà nouit homines ingeniosos
& acutos, & magnarum rerum auidos,
his per alios falsos prophetas suos, quæstio-
nes obijcit difficiles & obscuras, prima qui-
dem specie non inutiles, sed si propius aspi-
ciantur, minimè necessarias (verborum pu-
gnas vocat Paul') & à beata vita prorsus alienas:
quibus capti, obliti verè pietatis, & re-
ligionis, ad eas totos se conuertunt, ijsque
agitandis, & tam publicè quam priuatim in-
culcandis, omnes neruos intendūt, vnde cō-
fusio religionis, quā hodie cernimus. Quod
igitur suprà dictum est (redeūdum est enim
ad propositum) cauendum esse à falsis pro-
phetis, & ad eorum cantus aures obturan-
das, De his ipsis accipiendum est, qui specie
quadam recti, ab amore Dei & hominum,
veroque cultu mysteriorum Christi nos re-
trahūt, & ad inanes quæstiones supersticio-
nesue deducunt. Quæras quomodo eos
agnoscas, & à veris prophetis & pastoribus
intercernas? Enimuerò priores qui & hy-
pocritæ vocantur, describit Christus sub
persona Pharisæorum, hoc modo. Dicunt,
inquit, & non faciunt, alligant onera grauia
& importabilia, & imponūt in humeros ho-
minum, digito autem suo nolunt ea mo-
uere. Comedunt domos viduarum, oratio-
nes

DE VERA ECCLESIAE

nes longas orantes, & irrita faciunt mandata
Dei, propter mandata sua. Sed & decimant
mentam & anetum & cyminum, & relin-
quunt quæ grauiora sunt legis, iudicium
& misericordiam & fidem, colant deniq; cu-
licem, & deglutiunt camelum. Postiores
quos falsos prophetas propè dixeris, non a-
lia nota magis agnoscas, quàm qua Christus
Saduceos describit, cùm eos errare ait, ne-
scientes Scripturas, neque virtutem Dei,
Nominatim autem & Scripturæ meminit,
qua ea quæ literarum notis descripta sunt,
intelligit: & virtutis Dei, quo veram Scri-
pturæ intelligentiam, non ex naturę & in-
genij nostri imbecillitate, qua sèpè labimur
& erramus, metiēdam esse significat, sed ex
virtute & immēsa potestate Dei. Hinc enim
Iudas in sua Epistola, de ijs loquens qui ad
humanæ naturæ captum sacram Scripturam
expendunt: Quæcunque ignorant, inquit,
blasphemant: quæcunque autem naturaliter
tanquam bruta animalia norunt, in his cor-
rumpuntur. Quod quidem faciunt, cùm ad
rationes naturales Scripturæ mysteria ex-
pendunt, quos visionem cordis sui, non au-
tem de ore Domini loqui Ieremias ait. Orige-
nes locum illum Leuitici exponens, ubi de
iurgio duorum agitur, quorum alter Isra-
helis

helita erat à patre & à matre, alter verò à ma-
tre tantum, patre verò Aegyptio natus: si
quis, inquit, & fidei credulitate & nominis
professione Christianus est, & Catholicus:
iste ex vtraq; parte Israhelita est. Qui verò
professione quidem Christianus est, intelle-
ctu autem fidei hæreticus & peruersus, iste
matrem quidem Israheliticam, patrem ve-
rò Aegyptium habet. Quomodo ergo hoc
accidit? Cùm Scripturam quis legit, & lite-
ram quidem sequitur, intellectum autem
repudiatur spiritualem, hic matrem Israhela-
cam habet, id est, literam: sensum verò qui
spiritualem non sequitur, sed carnalem, isti
est Aegyptius pater. Et qui aduersum Ec-
clesiasticum & catholicum litigat, id est, cō-
tra eum qui ex vtraq; parte Israhelita est, &
secundum literam & secundum spiritum,
is est qui ipse secundum literam quidem Is-
rahelita est, secundum spiritum verò Ae-
gyptius. Hæc ferè Origenes. Planè autem ut
hoc vitium effugeret Magnus ille Basilius,
& cum eo Naziāzenus: refert de ijs Rufinus,
in solitudinem eos se recepisse, ibiq; annos
tredecim sacris Scripturis legendis operam
dedisse: quarum intelligētiam, inquit, nō ex
ppria præscriptione, sed ex maiorū scriptis
& aucto;

DE VERA ECCLESIAE

& auctoritatibus hauriebant, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. Ergo verum signum, quo hoc genus prophetas agnoscas, est, si verba quidem sacræ scripturæ recipiant, veram autem intelligentiam, non ex virtute Dei, & auctoritate Ecclesiæ, sed ex sua natura sensuque metiantur. Quorum quidem animus semper mobilis, & erore vagus, cum non habet ubi consistat, nunquam inquit Athanasius, definit aliud ex alio parere, aliasque ex alijs opiniones erroresque producere, adeò ut idem eorum scriptum, vix bis librarij manum subeat. Nam quod mihi dicas literas sacras per se patere, neculla opus habere interpretatione: fatebor id quidem, si vitam species & mores, eoque instituto ad eas accedas ut melior fias. Verum si laudem doctrinæ & eruditionis ea in reverenteris, & cognitionem mysteriorum, dicam cum Christo, non omnibus datum esse nosse mysteria regni cœlorum, nec omnes aures habere ad audiendum, aut oculos ad videndum, imo si quis minus dignè sacra tractet, & temerè in vulgus spargat, addam nō aliud id esse, quam sanctum dare canibus, & projicere rosas ante porcos, qui & pedibus eas conculcent, & conuersi disrumpat nos.

Sed

Sed & hoc indicio se produnt hi homines,
quod cum summa contumacia & mutabili-
tate scelus quoque coniungunt, nec ullum
crimen adire recusant, dum quod volunt
consequantur. Quod quidem si antea fuit
ignotum, nuper est cognitum, & re ipsa quo-
tidiè experimur. Sed de his quidem iam sa-
tis; eramus enim huc ex eo digressi, quod
declinando fraudes falsorum prophetarum
nulla re magis populū sanari, erroremq; illi
eripi posse iudicaremus, quā recta doctrina.
Quæ quidem eò magis quoq; proderit, al-
tiusq; radices aget, si non multitudini mo-
dò, sed & rudi puerorum ætati, qui semina-
rium sunt Reipubl. adhibeat. Nam qua-
lem tibi finxeris iuuentutē, talem post pau-
cos annos habebis Rempublicam: estq; nula
la nec certior nec facilior constituendæ ci-
uitatis ratio, quām quæ fit recta educatione
iuuentutis. Quin & magistros ipsos & prin-
cipes sectarum (nam de his nunc dicendum
est) siquidem viri boni esse velint, hac recta
doctrina sanari & in viam reduci posse spe-
randum est, ac maximè quidem si non tam
subtili argumentatione, quām euidenti de-
monstratione antiquitatis, quæ & inuictam
orationem reddit, & pudorē mouet aduer-
sarijs, cum ijs agatur. Quod quidem videns

G Sismi-

DE VERA ECCLESIAE

Sisminiū lector Nectarij Episcopi, interro-
gatus ea de re, consilium dabat, ut Theodo-
sius Imperator qui Nectariū in cōsilium ad-
hibuerat, sublatis disputationib. quibus hę-
refes & schismata non solūm nō tolluntur,
sed ad contētiones maiores adducūtur, prin-
cipes sectarū interrogaret, ecquid ad anti-
quos Ecclesiæ doctores qui ante' schismata
vixissent, controversias suas reijcere vellēt,
addens si annuerent, quod pudore pp̄e co-
gerētur facere, iam paratam esse victoriam,
quòd constaret veteres, haud aliter atq; or-
thodoxos sensisse. Sin verò minùs, non tole-
raturum populum tam insignem arrogan-
tiā, vt sanctis patribus se ipsi anteponerēt.
Planè si qui erunt ex his magistris, aut alijs,
quos hęc medicina non iuuet, his grauiora
remedia censebunt adhibēda, non quidem
vt statim tanquā facinorosos, odio & carce-
re dignos iudicēt, sed contrā tanquā amore
languidos & quasi mente captos (vt & Liui-
us libro octauo ab vrbe cōdita, in re non ab-
simili iudicat) misericordia. Itaque primū
leni exhortatione commonefaciendos du-
cent, qua si non flectantur, obiurgationes
adhibebunt grauiores, disciplinamq; acrio-
rem, & cum his alia nōnulla remedia, quę a-
more & alienatione mentis captis solent ad-
hibe-

CONSTITVEND. RATIONE.

50

hiberi. Quibus si nō proficitur, & res ad maiores turbas motusq; spectare incipit, tandem (ne tota Respublica pereat) ad ciuilem disciplinam veniendū putabunt, quam tamē ita exerceri iubebunt, vt ad eam non iracūdia, sed æquitate ducti videamur. Cæterū quānam equitatē? Quia enim omnis disciplina, vel ad eius qui punitur vtilitatem pertinet, vel aliorū: primū diligenter dispici iubebunt, ecquid eo genere disciplinæ fortè ut cōueniat, quod his quorū non omnino desperata salus est, soleat ad hiberi. Quod si verò nihil superest bone spei, iterū exquiri iubebunt, ecquid ex hominū cōmunione nocentē exterminari sat sit, ne alios corrūpat, an verò etiā exemplū édi oporteat, quo alij deterreātur. In qua euidē re diligenter admonebunt, vt boni ratiocinatores simus nō solū ipsarū rerū, sed & temporū, locorum, personarū, & aliorum id genus, & addendo deducēdoq; dispicere, q̄ reliqui summa persit, ex quo quantū cuiq; debeatur intelligi possit. Quin & hāc quoq; formulā dabūt ut in erroribus istis vindicandis, non solū ad fontes ipsos plectendos respiciamus, verū ad eos quoque coērcendos, quorum viatio errores concipiuntur. Nam aliter si fiat, primū graui scelere nos ipsi astringi-

G 2 mus,

DE VERA ECCLESIAE

mus, deinde aliorū omnium, qui ad eūdem
fortasse lapidem impingunt, peccata in nos
& caput nostrū accersimus. Haud secūs atq;
si quis eos qui ab rabido cane morsi sunt,
tollendos quidem curet, ne noceant, ipsum
autem canē qui alios quotidiē inuadit, cùm
possit, non tollat. Deniq; si multitudo est
quę peccet, difficile & plenum periculo pu-
tabunt, non morum conformatiōne potiūs,
& recta doctrina rem tentare, quām armis
& castris. Quorum exitus ille ferē esse solet,
vt post multum sanguinem exhaustum, vel
iniquis legibus pax facienda sit, quod ma-
gno bonorum dolore nuper vidimus; vel
parta victoria, in deuictorum tamen Iura
Respublica paulatim cedat, quod eorum à
quibus hęc turba prīmū ortae est, exempla
demonstrant. Itaque totam spem sanandę
multitudinis non alia in re magis ponent,
quām in sola conformatiōne morum, & re-
cte doctrinę (adiunctis paucis alijs, de qui-
bus pōst dicetur) constitutione, quod & Di-
uus Augustinus grauissimē tradidit, cuius
verba subieci: Non ergo asperē, quantum
existimo, inquit, nō duriter, non modo im-
perioso ista tollentur, sed magis docendo q̄
iubendo, magis monendo q̄ minando. Sic
enim agendum est cū multitudine peccan-
tiū,

tium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum, & si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis cōminando vindictā futurā, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Restat ut de ijs nunc dicendum sit, qui religionū quasi sectas instituentes, populū in diuersas factio-nes trahunt: quoniam potissimum remedio curari debeant. Nam ex tribus generibus malorū, quibus hodie labefactatur Ecclesia, hoc tertium esse diximus. Et quidē tametsi his quę dicta sunt, benè firmeq; cōstitutis, spes sit per paucos huiusmodi futuros: nequid tamen omittatur quod ad Ecclesiā iuuandam, aliquā in partem utile esse queat: etiam huic rei viri nostri manū admouendā censemur. Quid igitur facient, aut quę sibi finem scopumq; proponerūt? Certè in hoc laborabunt, vt quoniam tam malis morib. q̄ prauis opinionib, ex quibus dissidia hæc orta sunt, iam modus est constitutus; contentiones suas utrinq; partes deponant, & in uicē cedendo, in gratiā alij cum alijs reuertantur. Quo qui dem ut perueniatur: Primū illud communiter admonebunt, vt memores utriq; esse ve-lint, secumq; reputare, q̄ exiguis vel potius nullis de reb. inter se digladien̄t. De summa religionis & Euāgeliij cōuenire, nec quenq;

G 3 esse,

DE VERA ECCLESIAE

esse, qui nō fateatur, caput oīm amorē Dei es-
se & proximi, per Chrm Iesum, per quem so-
lū via est in cælū. Ad hæc, neminem esse, qui
non & prædicationem verbi Dei, vsumque
mysteriorū Christi, & exercitia pietatis &
virtutis probet. Sed & ministros Ecclesiæ ri-
tusque & cæremonias cunctos admittere.
Quod cùm ita sit, vix alia de re homines dis-
fidere, quām de quæstiunculis quibusdam
inanibus, & ad beatam vitā minimè necessa-
rijs, quas tanq̄ pilas in mediū cōijcit diabo-
lus, vt de ijs inter se, obliti verę religiōis, col-
luctent. Ex quibus tamen pleræq; eiusmodi
sunt, vt in verborum pugnā non rerū exeāt,
aut certè ad tenuissimas quasdam & sensum
quodāmodo fugientes, species, distinctio-
nesq; redigātur, quibus tractandis, nō plus
adipiscare re explicata boni, quā addubitata
mali. Imò si recta via res reputanda est, bona
pars cōtrouersiæ, haud ferè aliam causam ha-
bere videtur, q̄ bellū Troianū habuisse poē-
tæ fabulantur. Aiunt Helenam Iouis filiam
nunquam à Paride raptam, sed cùm vis illi
fieret, è nubibus arreptam, imaginem in lo-
cum eius suffectam, super qua decem annis
ad Troiam certatum fuit, ipsa intereā loci
in insula degente, in qua eam Iuppiter pa-
ter nymphis custodiendam dederat: vbi
postea

postea confecto bello, reperta est, imago vero in sublime volas, nubi se immiscuit atque. Similimè igitur si rem proprius aspicias, in nostris hisce controversijs vsu venit. Quia enim capita ipsa fidei & religionis diuinitus ad nos delata, nobiliora sunt, quam ut in disputationem contentionemque humanam deduci queant, quæ post mores emendatos, & rectam disciplinam constitutam exoruntur quæstiones, siue illæ fidei sint, siue rituum ac cæremoniarum, non tam res veræ sunt, quam figuræ quædam, & imagines rerum, quas ipsi nobis auctore diabolo fingimus, & magno studio cum Virgiliano Turno, qui Aeneas falsam imaginem persequebatur, consectamur, ipsa interim vera puraque religione, quæ nullis labibus disputationum infecta sit, in insula inter nymphas, hoc est, apud homines verè pios ac simplices, & qui vnius Dei contemplatione delectati, à quæstionibus istis procul absunt, degente: ubi positis armis, nos ipsi colligentes eam inueniemus, & quæstiones de quibus nunc tanto studio contendumus, tanquam somnium euigilantium, ut inquit Propheta, euanescente cerneamus. At quo pacto? Nam si quæ erunt quæstiones de rebus occultis, & penitus ab-

G 4 ditis,

DE VERA ECCLESIAE

ditis, quarū ad beatam vitā nullus est usus,
aut certè non omnib. necessarius; eas partim
conticere, partim intra scholarum spatiā se
continere, partim in medio relinquī iubebi
mus. Si quę erunt alię, quę ad res externas ri
tusq; & ceremonias pertinent; eas plerasq;
eiusmodi esse iudicabimus, vt sine vitiō mu
tari, & pro temporū ac locorū varietate aliæ
atq; aliæ esse possint, dummodò de fidei &
religionis summa cōstet, quę neq; accessio
ne horum aduentitiorum per se sit melior,
nec decessione peior, nisi quod ijs tanquam
instrumentis quibusdam, & quasi vestibus
siue ornamentiſ vtimur, quibus religio in
hac vita, ac potissimum quidem in populo
retinetur. In quam sententiam accipien
dum quoque est illud Augustini: Sit vna fi
des vniuersæ quę vbiq; dilatatur Ecclesiæ,
tanquam intus in membris, etiam si ipsa fi
dei unitas quibusdam diuersis obseruatio
nibus colatur, quib. nullo modo quod in fi
de verum est, impeditur. Omnis enim pul
chritudo filiæ regis intrinsecus. Illæ autem
obseruationes, quę variè celebrantur in ea
ius veste intelligantur. Vnde ibi dicitur in
fimbrijs aurei, circumamicta varietate; sed
ea quoque vestis ita diuersis celebrationi
bus varietur, vt non aduersis contentioni
bus

bus dissipetur. Hæc vbi in commune vi-
ri nostri admonuerint, ad singulos se con-
uertent. Ac primùm quidem eos, qui cle-
ricorum prauis moribus, & vulgi supersti-
tione plus æquo offenduntur, monebunt,
ne ex vitijs hominū res ipsas metiri velint.
Nihil impedire, quo minùs res bonæ sint
piæq; & sanctæ, & tamen hi qui ijs præsunt,
ad auaritiam cupiditatemque suam abutan-
tur, Christum ipsum, præterquam quod in
comitatu suo Iudam habebat Ischariotem,
de Pharisæis quoque dixisse: In cathedra
Moysi sedent Scribæ & Pharisæi, omnia er-
go quæcunque dixerint vobis, seruate &
facite; secundùm opera verò eorum nolite
facere. Dicunt enim & non faciunt. Sed &
sub Apostolis, nonne multos per id tempus
fuisse constat, qui religionem Christianam
quæstui haberent, de quibus Paulus ait, pro-
pter eos verbum Dei malè audire: Mitto ve-
tustissimorū patrum ea de re scripta & que-
relas, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Na-
zianzeni, & aliorum id genus; proferam v-
nius Damasi Episcopi Romani historiam,
cuius tamen fidem tantopere Imperatores
prædicant, de quo Amianus Marcellinus
scribit his verbis, Damasus & Orsiginus, su-
pra humanum modum ad capiendā Episco-

G 5 palem

DE VERA ECCLESIAE

palem sedem audentes , scissis studijs asper-
rimè conflictabantur , adusque mortis vul-
nerum discrimina adiumentis vtriusque
progressis , quæ nec corrigere sufficiens
Viuentius nec mollire , vi magna coactus
secessit in suburbanum , & in concerta-
tione superauerat Damasus , parte quæ ei fa-
uebat instantे. Constatq; in Basilica Sicini-
ni , ubi ritus Christiani est conuenticulum ,
vno die centum triginta septē reperta cada-
uera peremptorum , effrenatamq; diu ple-
bem posteà ægrè delinitam. Neque ego ab-
nuo , ostentationem rerum considerans vr-
banarum , huius rei cupidos , ob impetran-
dum quod appetunt , omni contentionе la-
terum iurgare debere , cùm id adepti , futuri
sint ita securi , vt ditentur oblationibus ma-
tronarum , procedantq; vehiculis insiden-
tes , circumspecti , vestiti , epulas curantes
profusas , adeò & eorum conuiuia , regales
superent mensas , qui esse poterant beati re-
uerà , si magnitudine urbis despecta , quam
vitijs opponunt , ad imitationem Antisti-
tum quorundam prouincialium viuerent ,
quos tenuitas edendi potandiq; parcissi-
mè , vilitas etiam indumentorum , & superci-
lia humum spectantia , perpetuo numini , ve-
risque eius cultoribus , vt puros commen-
dant & verecundos. Hæc Marcellinus : Qui

bus non absimile est, quod Seuerus Sulpitius, qui sub Arcadio & Honorio floruit, de suorum temporū corruptione cōqueritur: cuius verba subscrispi. Evidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumq; ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti huius (loquitur aut de Lexitis, quibus nulla certa portio data erat, quò liberius Deo seruirent) non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore, animos eorum habendi cupido veluti labes incessit, inhiant possesionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæstui per omnia student. Ac si qui melioris propositi videntur, neq; possidentes, neq; negotiætes, quod est multo turpius, sedentes munera expectant, atq; omne vitæ decus mercede corruptū habent, dum quasi venalē preferunt sanctitatē. Hæc enus ille. Cū quib. sexcenta alia eiusdem generis commemorari possent, sed hęc visa sunt sufficere ad eā rē quā agimus, scilicet ut intelligant hoīes, nullāvnq; fuisse etatē, neq; tam perfectam neq; tam incorruptam, quæ non suos habuerit mores depravatos, tum quidem aliorum, tū eorum etiā per quos Ecclesia administraret. Qua re vtiq; admoniti esse debemus, ex hac corruptiōe morum res ipsas

DE VERA ECCLESIAE

ipsas minimè esse æstimandas, non magis quod
si ignem & aquā ex ijs existimes, qui ad ho-
minum perniciem ijs abutūtur. Imo si quid
fortè in Ecclesiastico homine animaduer-
tas, quod in suspicionem mali trahi queat,
tu cōtrà si quid est in eo boni, elice, & ad ex-
cusanda potiū facta principū tuorū, quām
ad incusanda malēue interpretanda inclina.
Si res est eiusmodi, quæ excusationem non
admittat, cogita & illos esse homines nihilq;
humani ab ijs alienum, quò minus labi & er-
rare & decipi possint, demumque per illos
velle ostendere, neminem esse inter morta-
les, tam plenè cumulateque perfectum, qui
omnibus horis sapiat, & non aliquando la-
batur & erret. Denique ut propter hominū
vitia, ordinem ipsum & hierarchiam Eccle-
siasticam contemnas, caue vñquam in men-
tem tibi veniat. Petrus enim dominis paren-
dum esse ait, etiam iniurijs et iniquis. Paulus
contumacius locutus aduersum Ananiam,
quē nesciebat principem esse sacerdotū, ad-
monitus ea de re. Nesciebā, in quibat, fratres
principē eū esse sacerdotū, scriptū est enim,
principi populi tui nō maledices. Idem oēm
animam potestatibus sublimioribus subie-
ctam esse iubet, quia inquit, Nō est potestas
nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata
sunt,

CONSTITVEND. RATIONE.

55

sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Hinc Ioannes de Cayphalo quens, quod dixisset expedire, ut unus moreretur pro populo; hoc autem (inquit) a se metipso non dixit, sed cum esset Pontifex illius anni, prophetauit, quod Iesus moriturus esset pro gente. Quae quidem non ideo a me inducuntur, quod vitijs clericorum indulgendū aut suffragandū censem, sed ut intelligent hoēs, nihil minus conuenire, nec a ratiōe magis esse alienū, q̄ ut propter hominum vitia, res ipsæ dānentur, sed cōtra Christianæ pietatis & æquitatis esse, ut in his a similib. nos inter nos toleremus, alijq; aliorum onera portemus. Quin eadē quoque ratio est cēremoniarum, quibus quod vulgus subinde superstitionisius vtitur, nōnulli mīificē offendūt. In qua re vti prauas superstitiones minimē defendo, imò verē damno: sic eos qui plusquam oportet offenduntur, puto admonēdos, multa esse in cēremonijs, quae in speciem superstitionis videntur, quae tamen re ipsa non solūm superstitionis nō sunt, sed et vsum habent admirabilē ad mysteria, quib. adhibentur, explicāda, adeo ut à quibusdā verba visibilia vocentur. Sed et ne hoc eos fallat, admoneri debent, pleraque ex ijs nō noua esse, et recēs excogitata,

v6

DE VERA ECCLESIAE

vt quidam falsò prædicant, sed planè vesa-
tera, & iam à bonis temporibus ad nos
profecta. Si autem rogent quid opus sit
his cæremonijs? quando sine ijs res ipsa suf-
ficiunt, quæ alioqui cæremoniarum nimia
multitudine obscurantur, respondebitur,
sic à Deo esse comparatum vt nullæ actiones
humanæ rectè atque ordine péragi possint,
nisi certa cæremonia, hoc est, suo loco tēpo-
re & forma fiant. Quibus describendis si-
quidē ea ratio seruetur, quæ non solùm my-
sterijs ipsis rite peragendis sit accommoda-
ta, verùm vnà etiam doceat & quasi in con-
spectum proponat, quidnam misteria sibi
velint, & ad quem vsum sint introducta, tan-
tum abest vt in reprehēsionem id incurrere
debeat, vt contrā summa laude dignum pu-
tetur. Nam si eos laudamus qui administra-
dis sacramentis simul etiam vsum eorum
verbo demonstrant, quomodo non & signa
probabimus quibus tanquam verbis visibili-
lib. vt dixi, idem ille vſus ostenditur. In quo
quidem si qui subinde modum excedunt,
non statim propter hominum vitia res ipsæ
abijciendæ sunt, sed hi ipsi qui peccant ede-
cendi, vt intelligent quidnam reuera sibi ve-
lint cærimoniæ, & quatenus ijs seruiēdum.
Quibus quidem, siquidem longo cursu fle-

xuq;

xuque temporum, aliquid fortasse, vt sit, ac-
cesserit nouum & minùs rectum, vel ad au-
ritiam cupiditatemque hominum excogita-
tum, id resecandum & amputandum est, cō-
seruandum autem quod vetus, rectum & v-
tile, ne si aliter fiat, contra disciplinam iuris-
consultorū, vtile per inutile vitietur. Quod
mihi dicas homines perfectos non opus ha-
bere cæremonijs. Scio, sed amabo te, an in Ec-
clesia omnes perfecti, omnes æque boni?
Nonne secūdūm Christi ipsius doctrinam,
alij boni, alij malī, alij perfecti, alij imperfe-
cti, alij qui solidō cibo pascuntur, alij qui la-
etè adhuc indigent? Ergo vt oīa fiamus om-
nibus, tametsi perfecti nō ita multū opus ha-
bent cæremonijs, imperfecti tamen & qui la-
etè adhuc nutriūtur, quorum maxima semp-
turba est, quid, nonne his reb. in officio con-
tinendi, & quasi educandi sunt? Quorū qui-
dē imbecillitatem non solum conténere nō
debemus maiores facti (si q̄ tamen eiusmodi
reperiūtur) sed nobiscum taciti cogitare, &
nos eiusmodi fuisse, nec aliter cōstare Eccle-
siam, quām si eorum qui in Ecclesia degūt,
dissimilitudine ac varietate, dissimiles ritus
& Leges cæremonięq; constituantur, quib.
quisq; p̄ captu moduloq; suo, sine reprehē-
sione vtatur, Iā ad eos cōuersi viri nostri qui

ritus

DE VERA ECCLESIAE

ritibus ac cæremonijs plus satîs dediti, indignantur, & grauiter ferunt, si alij nō idem faciunt, nec quem oportet honorem ordini ni Ecclesiastico sacrisq; cæremonijs tribuūt: Primùm ex his clericos commonefacent, ne ordinis sui honore nimium se efferant, aut non tanti se fieri, quanti vellent, nimis ægre ferant, Meminerint Eli sacerdotis & filiorum eius, quibus propter vitam & mores cōtaminatos sacerdotium cum vita ereptū, & ad Samuelem trāslatum fuit. Meminerint quoque filiorum Samuelis, qui suis impuris moribus, non dico transferendi sacerdotij causa fuerunt, sed ipsius etiam principatus sacerdotum penitùs tollendi, & Rempub. Iudorum in nouum statum formamque regiam commutandi. Meminerint deniq; verborum Christi, qui cùm Apostolos suos salterræ vocat, mox addit, quòd si sal euanuerit, ad nihilum valet vltræ, nisi vt ejiciatur fo ras, & conculcetur ab hominibus. Si qui debetur honor, non tribuitur, cogitent, nec se quod debent officium præstare, sicque ferè fieri, vt fortuna simul cum moribus immutetur, & quemadmodum virtutem & recta facta, laus & decus tanquam umbra sequuntur; ita cum vitio & scelere dedecus & ignominiam esse coniunctam. Atque id quidem non

CONSTITVEND. RATIONE. 57

nō in vita modò & moribus, sed & in sacris
ritibus & doctrina Ecclesiastica accidere,
quibus nunquam suū decus restituetur, nisi
homines Ecclesiastici nō ad turpem questū
suum, sed ad salutem hominum ijs vtantur.
Quinimò si qui sunt, qui minus rectè de ijs
sentiunt aut loquuntur, cogitandum est ma-
lum hoc à prauis ministris ferè esse ortū, nec
exemplō nouum esse, vt propter abusum res
ipsa nonnunquam tollatur. Quod de rege
Ezechia memoriæ proditum est, qui serpen-
tem æneum, quēm Deus ipse fabricandū &
conseruandum mandarat, cùm fortè popu-
lus in peruersum eius cultum incidisset, cō-
minui & in partes frangi iussit. Quanquā id
nō eò dicimus, quod propter vitia clerico-
rum res ipsas tollendas censemus, sed vt ha-
mines minus agrè ferant, si non is qui olim
honor ijs habeatur, & intelligent eam demū
veram perfectamque doctrinam esse, cùm
quod alios facere quis postulat, ipse factis
suis p̄ætit: Quo etiam pertinet, quod suprà
diximus, siquidē de summa religionis & ma-
ioribus p̄ceptis conueniat, de reliquis mi-
noribus non magnas contentiones esse fusi-
piendas. Sic enim Constantinus Imperator,
ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum, &
Arrium presbyterum scribens. Neque enim

H vobis,

DE VERA ECCLESIAE

vobis, inquit, de primario præceptorum legatum capite ista est contentionis occasio, neq; noua quædam vobis contra Ecclesiam Dei introducta heres, sed vnam & eandem, habetis sententiam, sicut & communicatio-
nis tesseram, dum enim modicis & valde mi-
nus de causis inter vos contenditis, non co-
uenit ut tantum Dei populum propterea q
dissidentis, inter se dissidentem retineatis.
Potest vobis verecūda synodus illæsa serua-
ri, vnaque & eadem per omnia communica-
tio retineri, etiamsi maximè in parte aliqua
de re leuicula inter vos dissideatis. De diui-
na pudentia vna quædam in vobis sit fides,
vnus intellectus, vnum cum Deo fœdus. Ea
verò quæ de minimis ipsis quæstiunculis in-
ter vos tanta cura exquiritis, etiamsi non ad
vnam eandem sententiā conferatis, intus in
cogitationibus & arcano mētis seruata ma-
nere conuenit. Hæc ille. Haud dissimile est
quod de Policarpo & Amceto Episcopo Ro-
mano memoria proditum est. Qui quidem
quanq; in questione de paschate diuersa sen-
tiebant, cætera tamen concordiam & amici-
tiam colebant, & sacrosanctam Eucharistiā
inter se mittebāt. Idem & inter Irenæum &
Victorem Episcopum Romanum in eadem
controversia accidit; Nam cum in animo vi-
tos

Et si haberet Episcopos Asiaticos communio-
ne remouere: grauiter obiurgatus ab Ire-
næo est, q[uod] indignu[m] dicebat tantillæ rei cau-
sa, res tam graues moliri. Evidem optandum
quidem esset, & verò omnib[us] votis, de cunctis
conuenire, sed quoniam viuit cū nō perfectis
hominibus planeq[ue]; sapientib[us]. sed cum ijs cū
quibus (vt ille ait) præclarè agitur, si insunt
simulachra virtutis: sèpè fit vt adducti tem-
poribus, aliud atq[ue] aliud constituere, aut cer-
tè connuentibus oculis permettere debea-
mus. Estq[ue] prudentis hominis in magna dif-
ficultate ac confusione temporū, non nunquam
minima de malis, vt habet vetus dictum, eli-
gere, & quanto dimidium plus sit toto aesti-
mare. Ne si aliter fiat, dum nihil de suo dare
quis vult, omnia amittat, & quam laxando
conservare potuisset, Remp. stringendo per-
dat. Exemplo sunt Moyses & Roboam. Ex
quibus cùm ille seruiens tempori, duricie i po-
puli in hoc cedebat, vt ab uxore diuertere,
& libellu[m] repudij dare liceret, ea re inter cæ-
tera vt tunc erant mores, sibi & Reipublice
saluti fuit; hic verò, cum senioribus acquies-
cere nollet, nec populo ylla in parte cedere,
sed de consilio iuniorū responderet, si pater
flagellis cecidisset, se scorpionibus cæsurū;
hoc facto uno, non ipse modo Regni magnā

H 2 para

DE VERA ECCLESIAE

partem amisit, sed totam gentem Israheliticam in duas se^ctas diuulsit. Tanti igitur interest in loco cedas, an obstinatè obsistas. Quid ergo, an suæ quemque fidei relinques, mus, & alias atque alias Ecclesias institui patiemur? Nequaquam, imò verò hoc vnū maxime viri nostri studebunt, omniq; nisu laborabunt, vt tā moribus, quām recta doctrina constitutis, vna sit fides, vnaque Ecclesia, & cūm his vna ratio rituum & ceremoniarū, si fieri potest, sin verò minus (vt sit in tanta varietate imbecillitateq; naturę humanę) vt saltem fundamētis ipsis fidei & Ecclesiæ bene positis, si qua in reliquis minorib. dissensio, vel potius varietas erit atque differentia, in his sine acerbitate reprehensioneque, alij alios tanquam in diuersis institutis monasteriorum toleremus; cætera aut, mutuam amicitiam & cōcordiam Christianam colamus. His ita peractis, tandem cōclusa erit tota ratio, qua religionem & Ecclesiam hoc tempore constitui, & rebus afflictis opem ferri posse, viri isti iudicabunt. Quæ quidem scri pro comprehensa, continuò lege lata, vel potius renouata, sanciri & in vulgus édi iubebunt. Cuius legis primum caput erit de Hierarchia, vitaq; & moribus clericorum, totaq; adeò disciplina Ecclesiastica. Alterum de fide

fide, sacramentis & cæremonijs, veraq; insti-
tutione hominis Christiani, cuiuscunq; loci
sit aut ordinis, aut vbicunq; locoru degat.
Tertiū admonitoriū eorū quæ tam in quæ-
stionib. quām ritib. & cæremonijs, sine vitio
mutari, & aliter atq; aliter statui possunt. Ad-
iunctis etiam ijs, quorum inquisitio, vel om-
nino publicè interdicta, vel gymnaſijs re-
ſeruata fit, quæ cū ad vitæ beatitudinē nō
ſunt necessaria, nō debent tanquam necessa-
ria, quēadmodū pleriq; magna Reip. pertur-
batione faciūt, tractari. Quo facto & gratijs
Deo actis, viri isti, ad ſua quiq; reuertentur,
niſi quòd paucos quosdā ex ſuis relinquēt,
quibus exequendę legis curam, vñā cū prin-
cipib. Ecclesiasticis & prophanis, cōmittent.

Hæc cūm ita ſint, redit nunc ille ſcrupu- VII.,
lus, qui ſuperius malè nos habuit, vbi nam
viri hi, ex quorum persona ha&tenus locuti
ſumus, inueniri, & inuenti quomodo in vnu
cogi, & his rebus imperijsque præfici poſ-
ſint? Qui quidem ſcrupulus, eò etiam magis
pungit, quòd hoc genus homines perrari
ſunt, & vix vi compulsi ad Rem publicam fe-
pertrahi patiuntur. Adde quoniam vtrisq;,
& malis moribus, & peruersis opiniorib;
infensi ſunt, vtramque partem ſumma vi ad-
nifuram, ne ad eos ſumma rerum deferatur.

H 3 Nam

DE VERA ECCLESIAE

Nam si verum dicendum est, vix aliter res se
habet, atq; si quis homines fingat in specu
subterraneo degétes, vbi neq; solem vñquā
viderint, neq; arbores, aut pecudes, aliásue
res vllas, sed vmbbras earū fortasse, quę splen
dore solis aut lunę, in specum subinde iaci-
untur. Hos enim circa vmbbras istas tāquām
res veras, magna contentione disputantes, si
quis foris adueniens, fortè admoneat, de ni-
hilo esse quod disputent, vmbras tantū &
imagines rerū esse quæ in antro appareant,
rēs autem ipsas alibi supra terrā extare: eum
neutra pars proculdubio feret, sed indi-
gnati, ejiciendum ē specu, aut perdendū cen-
fēbunt. Igitur vt viris istis idem accidat, ve-
hementer verendum est. At quid dico ve-
rendum? Est in medio exemplū libelli, qui
de officio pīj viri in hoc dissidio religionis
inscribitur, qui quā indignis modis ab ad-
uersaria parte tractetur, non est incognitū.
Quinetiam intelligo, nōnullis quoq; ex ea
parte pro qua facit, improbari: et si nec mihi
per omnia placeat. Quis enim ita dicat, aut
scribat, vt omnia omnibꝫ probentur: sed in-
stitutum ipsum bonū esse aio, rectumq; &
sanctum, hominisq; pīj & docti, & cōmūnis
pacis & cōcordiæ amantis. In cuius scriptis
legendis, rēs ipsæ spectandæ sunt, nō autem

Vcr.

verba captanda, quę nemo vnquā tam cautē conceperit, vt non aliquid inueniat maleu-
lus, quod calumnietur. Quinimò nō priua-
tis modò, sed & publicis in rebus quotidiè
cernim⁹, vt quę vera proferuntur remedia,
in vtriusq; partis odia incurrāt. Quid ergo
fiet, aut quomodò ad id quod volum⁹, per-
ueniemus? An ad tumultū popularem rē re-
dire patiemur? Dij meliora. Nā quid à popu-
lo sanı expēctari possit, cū vetera exempla
cōpluria, tum prēsentia nimis manifeste de-
monstrāt. An ergo expectabimus donec De-
us ipse tanq; de machina appareat, qui rebus
opē ferat? Enim uerò semper quidem appellandus & implorādus Deus est, nec vnquam
cessandū, sed ita tamen vt ipsi manum quo-
que moueamus. Rusticus em̄ expectat dum
defluat amnis, at ille labitur & labetur in o-
mne volubilis æuū. Quid igitur faciēdum?
Certè post oīa cogitata, quoniam dictum à
nobis superiùs est, cognitis & perspectis ijs,
quæ viri nostri agerent, ac molirētur: vltrò
fortassis viam se aliquam ostēsuram, qua &
conuocari, & his rebus prēponi possint: ni-
hil aliud video, q; vt dispiciamus ecquid ex
ijs quæ haec tenus ea de re differimus, eius-
modi quid fortasse se offerat. Et quidē, quo-
niā ostendimus, nō ipsos solū quales velim⁹

H 4 esse

DE VERA ECCLESIAE

esse viros, verum etiam qua exequitate ac prudentia rem, qua de agitur, tractabunt: primùm sperandum est, populum, ubi haec intellectexerit, fautorēm se ei rei præbiturum, quippe quod etiam nunc multi vbiique terrarum reperiuntur, qui vel amore religionis tranquillitatisq; & cōcordiæ, vel rædio disensionū, nihil magis exoptant, quam ut cōstituendæ Ecclesiæ, certa aliqua ratio ineat. Sed & de principum studijs haud minora expectada sunt, ubi tam temporis necessitatē, quam rei euidentē utilitatem, suumque ad eō munus, quod in Ecclesia tuenda Deo debent & hominibus, proprius cognoscint. Ex quibus Imperator ipse Optimus sanguinem maximusq; princeps, & cum eo Rex Catholicus, cui id cognomen non magis à majoribus hereditariū est, quam propriapietate virtuteq; partum, alijq; sanctissimi reges & principes, iam scriptis & legationibus suis, voluntatem & studium suum declararunt, quod equidem ut exequantur & urgeant, etiam atque etiam moneo atque horitor, & per viscera misericordiæ Dei oro atque obtestor. Quin & ordinem ipsum clericorum, & principes Ecclesiasticos, huic muneri nequaquam defuturos, putandum est. In quibus etiā nunc multos esse cōstat, & quidem

dem in cōfessu vestro Patres, pios & bonos,
qui tam prauis moribus, quām falsæ doctrinæ
infensi, vtriq; rei remedium adhiberi, &
vniuersam Ecclesiam purgari, pristinoq; ni-
tori suo restitui, omnib. votis exoptat. Quæ
quidem cùm ita se habeant, haud omnino
difficile, certè minimè desperatum, appro-
bante Deo videtur, vt ad id quod volumus
perueniatur. At quid ita? Quia enim bona
magnaq; pars omnium ordinum, populi dis-
co, principum, & Ecclesiasticorum, ad eum
quo exposui modum affecta est, rebusq; fa-
uet; iā primū illud constat, eo loco nos es-
se, vt maior certè non minor, vel inferior sit
numerus bonorū, quām malorum, nec ali-
nd restare, quām vt copias illi suas iungant,
& in Rempub. constituendam pari cura in-
cumbant. Deinde, ne id confusè & permi-
xtè, vel temerario populi concursu fiat, sed
discretè & electè, certaq; ratione & ordine:
hoc fermè modo, meo quidē iudicio, res ef-
fici posse videtur. Principio, vt vos Patres q.
jam cōuenistis, ita vos instituatis, vt tū qui-
dē ad vera remedia veramq; pacē ac concor-
diam animum adijciatis, tum verò princi-
pem ordinis vestri, Pontificem Maximum,
non magis nomine quām re ipsa, vti spero,
Pium vobis, si qua fieri potest, adiungatis.

H 5

Vtrunc-

DE VERA ECCLESIAE

Vtq; enim vos, quotquot estis boni, vltro expetere, omnibusq; modis optare, nihil equidem ambigo. Hoc facto, alterum esse velim, vt partim rogatu vestro, partim sponte sua, sacratissimus Imperator, qui aduocatus & procurator est Ecclesiæ, & custos canonum, vnâ cum optimo filio regeq; Catholico vobiscum se coniungat, siccq; rebus omnibns paratus & instructus veniat, vt pro canonum sacrosanctis decretis, tam cōtra malos mores, quām prauas opiniones asserendis, paratum & instructū esse decet. Quod quidem non solūm nō diffugiturus, sed vel vltrò pro sua immortali pietate futurus videtur. Nec dubium, quin mox plurimi Reges & Principes, partim inuitati à vobis, partim sponte sua se illi aggregabunt, & in eandem rem & studium cum eo incumbent. His peractis, tertia cura erit, vt omnes conueniatis, tam vos quām Principes, & de his qui religioni & Ecclesiæ constituendæ præerunt, cōmuni consilio statuatis. Quod cūm facietis, si qui erunt inter vos, luxui, avaritiæ, ambitioni dediti, vel homines tumultuosi, duri ac præfracti, qui sua potiūs quām quæ Christi sunt, querunt, & non tam veritatem & concordiam, rectaq; remedia, quām victoriam spectant, eos oēs rejicietis, in

in eorumq; locū, alios homines pios, lenes,
māsuetos, veritatis & cōcordiæ studiosos, &
ab omni cupiditate, falsa doctrina & conten-
tiōe alienos, quales eos suprā descripsimus,
sufficietis. Qui quidē tamē si perrari sunt,
& latē dispersi, nec in publicum, nisi inuiti
prodeunt, vocati tamen à vobis, & ab regi-
bus, & principibus, tum publicē, tum priua-
tim inuitati, non omnino nec infrequentes
aderunt, nec illibentes, sed partim temporū
necessitate exciti, partim monitu & imperio
ipsius Dei, qui Ecclesiam suam nūquam pa-
tietur esse desertā, ab omnibus partib. orbis
Christiani confluent, & ad vos & rationes
vestras se adiungent. Quo facto, non illud
quæretis, quo quisq; loco esse aut sedere de-
beat, & quā in dicenda sententia auctoritatē
obtinere, id enim inter vos (nā inter bonos
bene agier) facilē cōueniet, sed precati Deū,
continuō ad rē ipsam, secundū ea q̄ suprā di-
cta sunt, aut si quæ erunt alia meliora, recta
via, nulla vñ circuitione, accedetis. In eoq;ue
lumen animi, ingenij & consilij vestri ostendit-
is, nec quicquā omittetis, quod ad mores
omniū, tā principū Ecclesiæ, q̄ aliorū, secun-
dū canones cōformandos, adq; rectā doctri-
nam ex interpretatiōe patrū cōstituendam,
& partes inter se cōciliandas, inq; mutuam

gra-

DE VERA ECCLESIAE

gratiam reponēdas, quoque modo pertinere possit. Quod quidem cūm vos Patres, promunere à Deo vobis imposito, & quod quasi viua voce nunc à vobis ipse exigit, facietis, & vos Augusti Regesq; & Principes, pro ministerio quod Deo & Ecclesiæ debetis, ei rei adiutores eritis: Primū Deum ipsum propicium habebitis, viamq; vobis in cælum cōdetis, vbi beati cum superis viuatis. Demū mortales omnes, bonos certè, amicos & fautores vobis parabitis, qui pro beneficijs acceptis, Ecclesiaque restituta, nomen vestrum sempiternis laudibus consecrabūt, In qua re, ne Ecclesiæ, & officio deesse velitis (nolo autem quæ secùs facientes dira manent, odiosè ingerere) orant vos tot perditæ nationes ac populi, obsecrant vniuersi sexus & ætates, obtestantur cunctæ gentes & ordines, qui omnes in vos nomenque vestrum cōuersi, vos solos post Dei numen & auxilium, respiciunt, ad vos tanquam ad portum configunt, in vobis omnes spes opesque suas ponunt. Quæ quidem ne eos fallant, ne ûne rebus desperatis quemadmodum in naufragijs, suæ quisque rei consulere cogatur, sed cōtrà, ut communi consilio, & adhibitis veris remedijs, firma pax & concordia vel tandem constituatur. Oro te Deus

Pater

CONSTITVEND. RATIONE. 63

Pater omnipotens, per Filium tuum Iesum
Christum dominum nostrum, obsecrans
ut mentes eorum, ad quos Ecclesiæ consti-
tuendæ munus pertinebit, & tu ad eam rem
delegisti, Spiritus sancti tui afflatu & lumine
ne, ita accendere & illustrare velis, ut non as-
silio quam ad unius nominis tui gloriam, con-
seruationemque Ecclesiæ Filij tui, &
spiritum veritatis respiciant, &
ad dirigendos pedes no-
stros in viam pacis.

Amen.

FINIS.

Constitutive RATE
of the system is given by
the following expression
$$R = \frac{1}{2} \left(\frac{\partial^2 \ln f}{\partial \mu^2} \right)^{-1} \left(\frac{\partial \ln f}{\partial \mu} \right)^2$$

where μ is the chemical potential.
The entropy of the system is given by
$$S = -k \int f \ln f d\mu$$

and the free energy is given by
$$F = -k \int f \ln f d\mu + \mu \int f d\mu$$


卷之二



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Th
6003